



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XXXIX. De Sententia Excommunicarionis[sic!], Suspensionis &
Interdicti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



TITVLVS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis Suspensionis & Interdicti.

Super sunt fori Ecclesie externi poena Medicinales, siue Censurae: quarum, ut expeditior utiiorque explicatio sit, aliorum Interpp. ac DD more, de iis in genere aliqua praemittere iuvabit.

ARTICVLVS I.

De Censuris generatim.

SUMMARIUM.

1. Censura erymon & varia significatio.
2. Proprie accepta est poena spiritualis.
3. Qua a sola potestate Ecclesiastica.
4. Siue ab Ecclesia Prelatis iurisdictionem in externo.
5. Non internò tantum foro obinenti- bus.
6. In solos homines, eosque baptizatos.
7. Usque rationis pradicos & viatores fertur.
8. Non etiam in mortuos.
9. Et ferentis iurisdictioni non subje- ctos.
10. Censura graui non fertur in venia- liter delinquentes.

11. Licet suspensio & interdictum ali- quando afficiat innocentes.
12. Censura in delinquentibus exigit contumaciam.
13. Et non infligitur ob peccatum merè internum.
14. Vel prohibitum solò Jure Naturali vel Diuino.
15. Neque etiam ob peccatum omnino prateritum.
16. Vel commissum graui meru.
17. Nisi iste ab Ecclesiastica potestatis contemptu non excuset.
18. Censura privat usu quorundam bo- norum spiritualium.
19. Et intendit correctionem.
20. Eadem exigit prauiam monitionem.
21. Si ea non lata a Jure.
22. Sed ab homine sit ferenda.
23. Ea monitio trina, vel una trina a- quivalens, esse debet.

Censura, à Censendi verbo nomen sortita, in Republica Romana veteri denotabat officium & dignitatem Censorum, morum correctionem, coërcitionemque spectan- tem, juxta illud Plinii, *Caronum ille pri- mu Censurâ insignis, Lib. 14. cap. 4.* Et aliquando ipsam correctionem & haec spectantia decreta, juxta illud Juuenalis, *Nam 2 Vexat*

Vexat Censura columbas, Satyra 2. Hodie latius accepta quamcunque poenam, imò quodcunque iudicium sive sententiam Ecclesie correctoriam, ejusque approbationem etiam, significat. Strictè & propriè dictæ censuræ nomine solummodo veniunt poenæ Ecclesie Spirituales & Medicinales: quò sensu accepta est Poena spiritualis, quâ potestas Ecclesiastica exterior fideles suos delinquentes & contumaces bonorum quorundam spiritualium usu privat ad eorum correctionem. Ita quoad sensum plerique DD. Quæ definitio & natura censuræ ut magis perspicua sit, operæ pretium erit, si singula ejus verba ponderentur.

Dicitur itaque primò, *Pœna spiri- tualis*; cujusmodi non sunt pecuniariæ: sicut & carceris, exilii, aliæque corporis afflictivæ; quia hæ bonis solummodo temporalibus aut corporalibus privant contrà, quàm solent, censuræ; hæ enim, licet aliquando etiam bonorum temporalium v.g. communicationis politicæ & forensis, ut excommunicatio, aut fructuum beneficalium, distributionum quotidianarum &c. privationem asserant: his tamen non solis, iisque secundariò tantum, & quatenus cum spiritualibus connexa sunt, ad eave referuntur, privant, *Avila de Censur p. 1. dub. 4. n. 2. & Laiman. Lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 1. n. 1.*

Dicitur secundò, *Quâ potestas Ecclesiastica externa*: non merè Secularis; hæc enim, cum negotia Ecclesiastica tractare nequeat, *can. Judicatum 5. dist. 89. c. Decernimus 2. de Judic. c. Si iudex 12. hæc Rubr. in 6. &c.* censurandi potestatis Jure capax non est, *Navarrus Manual. cap. 27. n. 9. Covarruvias in c. Alma p. 1. §. 11. n. 3. & Laiman p. cit. cap. 3. n. 2.* Ecclesiasticæ autem potestati ea à Christo relicta est verbis, *Quæcunque alligaveris super terram, Matth. cap. 16. v. 19.*

& Pasce oves meas, Joan. cap. 21. v. 17. quibus datam potestatem ad externum forum extendi, indicat ipse Servator *Matth. cap. 18. v. 17.* dum ait, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, hoc est, à fidelium communi- one segregatus. Idem declarant sancti Apostolorum Principes, Petrus quidem *Actor. cap. 8. v. 21.* ad Simonem Magum dicens, *Non est tibi pars neque fors in sermone*, ut ibi notat Lorinus: Paulus verò hominem incestuosum, *1. Corinth. cap. 5. v. 5.* & circa fidem naufragantes Hymenæum & Alexandrum Sathanæ tradens, *Timoth. cap. 12. v. 20.* quâ traditione eos excommunicatos, cum S. Chrysolomo & Theophylacto Cornelius observat. Confirmat id ipsum definitio Concilii Constantiensis *Sess. 8. Errore 30. & Sess. 15. Errore 9.* constans & ab Apostolorum tempore ducta Ecclesie Traditio & usus: SS. Patrum ac Doctorum unanimis sensus ratioque ipsa; hęc ipsæ enim, quòd Christus S. Petro ejusque successoribus Oves suas, hoc est, totum fidelium cœtum pascendum & gubernandum commiserit, eis etiam tradidit potestatem, thesauros Ecclesie spirituales in morigeros & obediens dispensandi: & contrà immorigeros ac refractarios spiritualibus & communibus Ecclesie bonis in poenam & ad obtinendam eorum correctionem privandi.

In Ecclesia autem hæc censurandi potestas præcipuè competit Papæ, & post ipsum Archi- & Episcopis, *c. 1. c. Congruente 16. de Offic. Ordin. & c. Venerabilibus 7. hæc Rubr. in 6. Trident. Sess. 6. cap. 3. & Sess. 14. cap. 4. de Ref. S. R. E. Cardinalibus in Ecclesiis sui Tituli, c. His que 11. de Majorit. Legatis sedis Apostolicæ in provinciis suæ legationis, c. Novit 7. de Offic. Legati & c. Legatos 2. eadem Rubr. in 6. sede Archi- vel Episcopi*

pali vacante, Capitulo Cathedrali vel Metropolitanano, arg. c. *Unici de Majori*. in 6. & Vicario generali, tam Episcopi quam Capituli, sede vacante, c. *Venerabilibus* cit. arg. c. *Non putamus 2. de Consect. in 6.* ac Trident. Sess. 24. cap. 16. de Ref. Deinde Prælati & Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum & aliis, obtinentibus jurisdictionem in foro Ecclesie externo, arg. c. *Quarenti 20. de V. S. & cit. c. 1. hâc Rubr. in 6.* Abbatibus, Prioribus & similibus præpositis ac superioribus Regularium, non solum generalibus & provincialibus, sed etiam localibus, c. *Cum in Ecclesiis 10. de Majori. c. fin. de Statu Monach. & c. Sicut cuius 33.* junctâ Glossâ V. *Anathematis, de Simonia*: & demum Conciliis Generalibus & Provincialibus in sua provincia aut natione: uti & Congregationibus & Capitulis generalibus omnium, & provincialibus quarundam Religionum, S. Thomas in 4. dist. cit. q. 2. art. 2. Navarrus *Manual. cap. 27. n. 5.* Suarez *disp. 2. de Censur. s. 2. tota, & Palao Tract. 29. disp. 1. f. 4. à n. 2.*

5. Eandem potestatem etiâ parochis competere, supponi videtur, can. *Nemo, 2. q. 1.* quò loco ab Episcopis & presbyteris excommunicationi præmittenda asseritur cognitio causæ: illique tribui apertè videtur c. *Si Sacerdos 2. & c. Cum ab Ecclesiarum 3. de Offic. Ord.* quorum textuum priori excommunicandi potestas clarè attribuitur Sacerdoti: posteriori à Plebano lata excommunicationis & interdicti sententia jubetur inviolabiliter observari. Sed videtur tantùm; quia textibus proximè cit. relati Sacerdos & Plebanus non simplices: sed, ille Episcopus, iste verò Præpositus erat Ecclesie Collegiatae, ut cit. *Avila p. 2. cap. 3. dub. 2.* vel, ut cum Panormit. in c. *Cum ab Ecclesiarum cit. n. 3.* Barbosa & Gonzalez in c. cit. *utque n. 2.* volunt, ipsi & pres-

byter, cujus can. *Nemo cit.* mentio fit, fori externi jurisdictionem privilegio vel legitime præscriptâ consuetudine obtinuerunt. Unde cit. DD. censurandi potestatem parochi rectè negant cum cit. Navarro cit. n. 5. & Suarez s. 2. cit. n. 8. quia censura ferri nequit, nisi ab habente jurisdictionem fori externi, ut colligitur ex cit. c. *Quarenti & c. 1. in 6.* parochus autem externi fori jurisdictionem non exercet, can. *De persona 35.* junctâ Glossâ V. *Non ab alio, 11. q. 1.*

Dicitur tertio, *Fideles*, hoc est, baptizatos rationis ac doli capaces, viatores, tam laicos quam clericos; quia hi soli & omnes subditi sunt Ecclesie, quam ingressi sunt per Baptismum, can. *de Judaïs 5. dist. 45. & c. Gaudemus 8. de Divortiiis*, atque etiam delicti capaces. Quam ob rem censura ferri nequit

Primò, in creaturas irracionales. Neque refert; quòd Ecclesie precibus anathematizentur; quia anathema illud non punitionem, quæ culpam, in rationis expertes creaturas non cadentem, supponit, sed execrationem duntaxat & detestationem quandam spectat, Palao *Tract. 29. disp. 1. p. 6. n. 1.*

Secundò, in Paganos & Judæos; etiam si Catechumeni jam sint, juxta illud Apostoli, *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* 1. Corinth. cap. 5. v. 12. Neque in contrarium facit; quòd censuris obnoxii sint Hæretici & Apostatae; quia isti susceptò Baptismò subditi sunt Ecclesiasticæ potestati: à qua, sicut in alia crimina, sic etiam in Hæresin & Apostasiam prolapsi ob characteris in Baptismo impressi indelebilitatem non eximuntur, arg. can. *de Judaïs cit. & c. Majores 3. S. Item quaritur, de Baptismo, Laiman. p. 1. cit. cap. 4. n. 2. & Palao cit. n. 1.*

Tertio, in infantes, furiosos, aliòs. 7.

N a n 3

que ca.

que carentes usu rationis; quia sine isto neque delicti & contumaciae, neque correctionis & emendationis sunt capaces. Unde eum, qui in perpetuam amentiam incidere, à censura ante eam contracta absolvendum, docent *cit.* Suarez *Disp.* 5. f. 1. n. 10. & Laiman, n. 3. quòd censura sit pœna medicinalis; & propterea eam ferri non conveniat in eum, qui per eam nequit emendari.

8. Quartò, in mortuos; ut contra Tabienam *V. Excommunicatio*, n. 4. cum Sylvestro *V. Eodem* 1. n. 7. Navarro *cit.* cap. 27. n. 13. & Covarruvia *cit.* §. 11. n. 8. laudati Suarez f. 1. n. 3. & Laiman, n. 2. docent, partim; quòd Ecclesiæ potestas non extendatur in defunctos; cum, ut Gratianus in *Summa* 24. q. 2. expendit, Math. cap. 16. v. 19. B. Petro concessa sit potestas ligandi ea, quæ sunt *Super terram*, non *Sub terra*: partim verò; quòd censura feratur ob contumaciam delinquentis, & spectet ejus emendationem: defuncti autem, hòc ipsò; quòd viatores esse desierint, neque contumacia in Ecclesiam, neque emendationis sint capaces.

Neque cum hoc pugnat primò *can. fin.* 24. q. 2. *U. c. A nobis* 28. *hæc Rubr.* secundum quorum textuum prioris §. *fin.* oportet hæreticos etiam post mortem anathemizari: posterioris autem *V. Nec obstat*, excommunicati, qui decedentes ediderunt signa poenitentia, absolvi post mortem permittuntur, ex ratione; quòd Ecclesia certis casibus ligasse legatur mortuos ac solvisse. Non, inquam, textus hic cum dictis pugnant; quia posterior vel de censura ante obitum contractæ declaratione, cum Barbosa in *c. cit.* n. 1. vel cum Laiman, *l. cit.* de hæretici defuncti execratione ac desellatione: prior verò exaudiendus est de ligatione vel absolutione solum indirecta, quæ Ecclesia dire-

ctè non ipsos defunctos ligat vel absolvit, sed fidelibus viventibus prohibet aut permittit, ante obitum excommunicati corpus in loco sacro sepeliri, vel pro eo suffragia publica fieri, Covarruvia *cit.* n. 8. & Suarez n. 11.

Neque secundo; quòd Ecclesia indulgentias concedat pro animabus defunctorum in Purgatorio; quia illæ non conceduntur à Papa, tanquam à iudice, eas à pœna pro peccatis subeunda absolvente: sed per modum suffragii, exhibendò Deo satisfactionem ex thesauro meritum Christi & Sanctorum, adjunctis ad Deum precibus; ut eam satisfactionem pro liberandis defunctorum animabus misericorditer dignetur acceptare, ut ex communi T. T. sententia docet Laiman, de *Indulg.* cap. 7. n. 3. & dictum *Tit.* 38. n. 154.

Dicitur quartò, *Suos*, hoc est, 9. censuram ferentis jurisdictioni ordinariæ, vel saltem delegatæ subjectos, *c. A nobis* 21. quia par in parem, *c. Innocent* 20. *V. Quamvis, de Elect.* & inferior in superiori imperium non habet, *can. Inferior* 4. *dist.* 21. *U. c. Cum inferior* 16. de *Majorit.* propter quam causam censura obnoxius non est summus Pontifex; cum in terris nulli subjectus, omnique potestate & ipsò etiam iure humano superior sit, Laiman, *cit.* cap. 4. n. 4. & Palao *cit.* p. 6. n. 3. Ex speciali etiam Juris privilegio, constitutione vel mandato generali latâ saltem suspensionis & interdicti sententiâ; nisi ipsorum expressa mentio fiat, Episcopi non ligantur, *c. Quia periculosum* 4. in 6. Reges quoque & Imperator ob suæ dignitatis excellentiam & Majestatem censurâ ligari non possunt ab Episcopis, ut ex Sylvestri *V. cit.* n. 10. & aliorum DD. sensu tradit Palao n. 3. *cit.*

Dicitur quintò, *Delinquentes*; quia 10. censura, cum pœna medicinalis sit, necessariò

cessario aliquam: & si gravis sit, gravem culpam, per ipsam corrigendam, supponit, ut omnes facile concedunt. Si gravis, inquam sit, propter excommunicationem minorem: quæ; licet re non levi, scilicet Sacramentorum usu passivo privet, *c. A nobis 2. de Except. & c. fin. de Clerico excom. mnsfr.* nihilominus, quod facile & à quovis sacerdote tolli valeat, *c. Nuper 29. gravis censura non censetur, Henriquez Lib. 13. cap. 3. n. 1. & Suarez Disp. 24. f. 1. n. 6.* Unde hodie ferè solâ cum excommunicato denunciatio in humanis communicatione, sæpe venialiter duntaxat peccaminosâ, incurri potest, secundum communem sententiam DD. apud Palao *Tract. cit. disp. 2. p. 18. n. 7.* Contrâ ad excommunicationem majorem & suspensionem atque interdictum, prout defacto infligi solent, gravem sive mortalem culpam requiri, desumitur ex *can. Nemo Episcoporum 39. can. Nullus 40. Gr. 11. q. 3. & Trident. Sess. 25. cap. 3. de Reformat. cit. Navarrus n. 7. Covarruvias p. 1. §. 9. & passim alii, teste Palao cit. disp. 1. p. 7. n. 2. non obstante c. Si quis 22. dist. 23. quia nutritionem comæ illò, & similia aliis textibus sub excommunicatione prohibita, licet ex se res essent leves, ex circumstantiis tamen graves fuerunt, ut rectè advertit Coninck *Disp. 13. dub. 8. concl. 2.**

Notandum etiam hac in re discrimen est inter censuras; nam excommunicatio major, quod pœna omnium gravissima sit, *c. Cum non ab homine 10. de Judiciis*, sicut à Jure, sic etiam ab homine non infligitur: nisi ipsi delinquenti, *can. Si habes, 24. q. 3. & c. Romana 5. V. fin. in 6.* Interdictò contrâ ligari etiam innocentes possunt; cum illi etiam civitas aut alia communitas tota supponatur, *c. Si civitas 17. in 6. ut delin-*

quens, istius caput aut quædam membra, suâ culpâ etiam alios gravari animadvertentia, citius respiciant.

Idem aliqui DD. sentiunt de Suspensione; quod, collegiò vel capitulò suspensò, etiam singulares & culpæ expertes personæ suspendantur. Sed melius, suspensionem propriè dictam & propriò jure quæsità privantem ob culpam merè alienam contrahi, cum Navarro *cap. 27. cit. n. 151. cit. Henriquez cap. 34. n. 1. Suarez Disp. 28. f. 4. n. 3. & alius negat Laiman. Tract. 5. cit. p. 3. cap. 5. n. 1. partim propter textum, can. Satis perversum 6. dist. 56. partim; quod suspensio propriè dicta sit gravis pœna: hæc autem supponat culpam: quæ suos auctores tenere debet, nec ulterius protrahenda est, quàm delictum fuerit repperitum, *c. Quæsit 2. de Hæ, qua à majori; cum rem & personam, quæ culpâ caret, in damnum vocari non conveniat, Reg. Sine culpa 23. in 6.**

Neque obstant dicta de interdicto; quia, quatenus eò etiam innocentes afficiuntur, à Juris Regulis exorbitat: & propterea, argumentò à paritate desumptò, idem de suspensione legitime non infertur. Neque etiam; quod suspensione collegii etiam personæ singulares & nocentes afficiantur; quia hæ non privantur jure quæsità sibi propriò, sed toti collegio communi; cum, istius suspensione non obstante, obire functiones & actiones, quæ ipsis, non collegii, sed muneris particularis suæ personæ proprii ratione conveniunt, exercere liberè possint, per tradita à *cit. Palao Disp. 4. p. 5. n. 3.*

Dicitur sextò, *Et contumaces*, in Ecclesiam aliquid præcipientem vel prohibentem sub censurâ, ut cum Navarro *cap. cit. n. 7. docent Suarez Disp. 5. f. 5. n. 6. Coninck Disp. 13. dub. 8. conclus. 6. & Lai-*

II.

12.

& Laiman. *cit. p. 1. cap. 5. n. 2.* Ratio est; quia censura ex natura sua sunt poenae medicinales, ad contumaciam & inobedientiam in Ecclesiam corrigendam instituta; *c. Ex parte 23. de V. S. & c. 1. hanc Rubr. in 6.* & infligi nequeunt sine praevia monitione, ex decisione *c. 1. cit.* Quam ob rem

13. Censurae obnoxium non est primum peccatum merè internum, *cit. Navarrus n. 56. & Suarez Disp. 4. f. 1.* & alii id desumentes ex *can. Cogitationis 14. de Paenit. dist. 1.* quò locò à Glossa cogitationis poenam nemo pati dicitur ab homine: sed à Deo. Ratio est; quia Ecclesiae potestas exterior, sicut praecipere & prohibere, sic etiam judicare & punire nequit actus merè internos, utpote sub sensum & humanam cognitionem non cadentes, *c. Sicut tuis 37. in fine & c. Tuam nos 34. V. fin. de Simonia* ut dictum *Lib. 1. Tit. 2. n. 39.* Quibus non adversatur; quòd *Clement. 1. §. Verum, de Heret. excommunicentur Inquisitores* aliquid facientes vel omittentes ex amore vel odio; quia accipienda est de amore vel odio non merè interno, sed prodeunte in actum externum vitiosum & indicem pravi affectus interni, *Covarruvias in Reg. Peccatum p. 2. pr. n. 7. cit. Suarez Disp. 4. f. 2. à n. 1. & Palao Disp. 1. p. 7. n. 4.*

14. Secundò, peccatum prohibitum Jure solùm Naturali vel Divinò, Panormit. *in 6. Quà fronte 25. de Appell. n. 10. cit. Suarez Disp. 4. f. 9. n. 6. & Laiman. cap. 5. n. 2.* Ratio est; quia censura est poena inobedientiae, contemptus & contumaciae contra potestatem Ecclesiasticam, prout de excommunicatione desumitur ex *c. 1. cit.* & verbis Christi, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, *Matth. cap. 18. v. 19.* de reliquis autem censuris ex *c. Ex parte cit.* quòd textu, sicut excommunicationis,

sic etiam interdicti causa dicitur contumacia: & ex Glossa *c. 1. cit.* eam cum suspensione & interdicto quoad hoc aequiparante, *V. Excommunicat. & V. Observari.*

15. Tertiò, quodcunque etiam gravissimum peccatum merè praeteritum, sive quod omnino cessat, & cum inobedientia vel contumacia praesente non est conjunctum, ut iterum colligitur ex *c. Ex parte & c. 1. cit.* quia, ut dictum, censurae sunt poenae medicinales sive introductae; ut suae gravitatis horrore à peccato committendo & inobedientia continuanda delinquentes absterreat: quales non essent, si in solius delicti perpetrati poenam respicienti vel restitutionem aut satisfactionem debitam exhibere parato infligerentur, *Navarrus l. cit. n. 9. Covarruvias in c. Alma p. 1. §. 9. n. 4. & Suarez cit. f. 5. à n. 1.*

Neque obstant textus *can. Duo sunt 10. dist. 96. & can. Guisfarius, 23. q. 4.* quorum priori Impm. Arcadius ab Innocentio Papa, & à S. Ambrosio Episcopo Theodosius excommunicati perhibentur ob delicta jam praeterita: posteriori Sylvester Papa eos, à quibus ipse videtur detentus & in exilium missus fuit, anathematizavit. Non, inquam, haec obstant; quia ab istis non respicientibus Sylvester nondum restitutus, & ejus exilio Ecclesiae injuriam adhuc patiebantur; ut ex ipso *can. cit.* tenore constat. Ab Innocentio autem & Ambrosio memorati Impm. censurati sunt; ut respicientes scandalum & injuriam tollerent, exhibitam condignam satisfactione, *Barbosa in can. Duo cit. n. 3.*

16. Quartò, peccatum contra legem & praecipuum etiam Ecclesiasticum gravi metu v. g. mortis, mutilationis &c. commissum; isto enim censuram ordinariè non contrahi, movent *cit. Suarez Disp. 4. f. 3.*

4. f. 3. n. 14. Coninck *dub.* 12. n. 99. & Laiman *cap.* 5. n. 9. Ratio est partim; quòd sic delinquens haberi nequeat pro contumace & Ecclesiastica potestatis contemptore; cum naturæ potius infirmitate, quam obstinatæ voluntatis malitiâ peccet; partim verò; quòd ejusmodi metus plerumque excuset ab observatione legis Ecclesiasticæ. Cur non etiam à censura, Jure solum Ecclesiastico introducta?

17. Difficilem quidem hanc doctrinam reddit distinctio Innocentii III. *c. Sacris* 5. *de his, que vi metusve caus.* eum, qui excommunicato vitando metu inductus communicat, obnoxium pronuntiantis excommunicationi minori: & ab ista eum duntaxat absolventis, qui illi communicat per coactionem & inuitus. Sed non deest hujus cum illa satis expedita conciliatio; quia distinctione ista Papa solum ostendere intendit; quòd, licet vis absoluta, cum voluntarium tollat, à peccato, ac proinde etiam à censura semper; non tamen semper ab ista excuset metus; cum enim iste voluntarium non auferat, sed solummodo minuat, non semper excusat à legis Ecclesiasticæ sub censura præcipientis observatione: & quoties hanc transgredientem non excusat à peccato, eum non excusat ab annexa illi censura; sic enim cum excommunicato vitando in crimine criminoso, sive eo, propter quod is excommunicationis censuram incurrit, *c. Si concubina* 55. vel in divinis v.g. eum cum Sacramenti irreverentia absolvendò: vel etiam in politicis, sed cum Fidei & Religionis Catholicæ vel Ecclesiasticæ potestatis contemptu, communicantem ab excommunicatione gravis metus non excusat: licet excuset alios illò ad mandati sive legis Ecclesiasticæ etiam sub censura præcipientis violationem inductos. Ita cum *citt.* Suarez *Disp.* 6. f. 3. textum & distinctionem Innocen-

tianam explicant *citt.* Coninck n. 97. & Laiman, n. 9.

Dicitur septimè, *Usu bonorum spiritualium quorundam*, scilicet publicorum & communium: cujusmodi sunt beneficiorum administratio, exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ, administratio & perceptio Sacramentorum, Indulgentiæ & publica Ecclesiæ suffragia, aliæque similia bona spiritualia & externa. Non, *Omnium*; quia propriis & internis animæ bonis, ut sunt dona Gratiæ, virtutum Theologicarum & Moralium habitus, earumve actibus merendi, impetrandi & satisfaciendi vis &c. spoliare eorumque usu interdiceret Ecclesiastica potestas neminem potest, per tradita à *citt.* Laiman, p. 5 *cap.* 1. n. 2. & Palao *Disp.* 5 p. 1. n. 2.

19. Demum & octavò dicitur, *Ad eorum correctionem*; quia censure, ut dicitur, sunt poenæ Medicinales, non Mortales, *c. 1. cit.* atque idcirco, delinquentem à contumacia recedente, relaxandæ, *c. Ex litteris* 11. *de Constitut.* 5. *c. Quâ fronte* 25. *de Appellat.* eisque Canonica monitio sive eorum comminatio præmittenda est, *c. Reprehensibilis* 26. *de Appell.* *c. Sacro* 48. junctâ Glosâ *V. Competenti, hâc Rubricâ, c. Constitutionem* 9. *c. Statutum* 17. & 6. *Romana* 5. *ibid.* in 6. ubi sententia excommunicationis absque competenti monitione promulgata injusta vocatur. Notanda tamen hoc locò est gemina differentia inter censuras.

20. Una inter Excommunicationem & reliquas censuras; quia excommunicatio nunquam infligitur, nisi ut vera censura; ac proinde, cum ab homine ferenda & ejus causa non notoria est, monitio ipsi semper præmittenda est juxta *cc. citt.* Suspensio autem & Interdictum aliquando non ut censura, sed ut poenæ vindictivæ, commonitione non præmissâ, infliguntur,

guntur, e. *Cum in cunctis* 7. §. *fin. de Elect. c. Sacro* 48. pr. *hac Rubr. & c. 1. §. Exemplum* ibi, *Per mensem, ibid. in 6. Palao p. 5. cit. n. 5. in fine.* Altera inter eas, quæ à Jure & quæ ab Homine feruntur.

21. A Jure enim, uti etiam per sententiam generalem pro futuris culpis, juxta *c. A nobis* 21. lata, ipsò factò, hoc est, ipsà criminis, censuram annexam habentis, commissione contrahitur: neque exigit à Jure distinctam admonitionem, textus & Glossa *c. Reprehensibilis cit. V. Ipsò suo genere*; cum ipsum Jus sive Canon continua quædam admonitio sit, & omnibus non ignorantibus loqui & inobedientibus poenam minitari censetur: nisi aliam admonitionem accedere in casu aliquo particulari expressè velit: sicut voluisse videtur *Clement. 1. de Decimis, uti & Clement. & §. fin. de Statu Monach. cit. Laiman. cap. 5. n. 5. & Palao p. 5. n. 11.* Hoc tamen non obstante, qui censuram Jure latam contraxit, à judice Ecclesiastico publicè est denunciandus, *c. Conquesti* 22. *V. Nuntietis* &c. cum; ut publicè confusus citius respiscat: tum verò; quia vitandus est fidelibus: quod congruè fieri nequit, nisi, eum ab Ecclesia pro excommunicato haberi, publicè constet, *Laiman. cit. n. 5. & Engel ad banc Rubr. n. 9.*

22. Ea verò, quæ fertur ab homine; intelligenda non est sine dicta monitione; ut, licet factum Jure prohibeatur sub poena excommunicationis ferendæ sententiæ, hanc tamen ferre judex nequeat absque nova monitione, *c. Reprehensibilis* 26. *cit. ibi, Nec Pralati* (nisi Canonica commonitione præmissa) *suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipsò suo genere, hoc est, ipsò factò Glossa V. cit. suspensionis vel excommunicationis*

panam inducat: quò textu, cum sola censura Jure lata & ipsò factò contracta excipiat, quæcunque Jure lata non est, exigit præviam monitionem; quia exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis. Nisi tamen delictum & ipsa actiam delinquentis non respicientis contumacia publica & notoria foret; cum enim excessus notorius accusatione, examinatione & probatione non indigeat; *can. Manifesta* 25. *& c. 2. q. 1. c. Bone* 23. *V. Porro, de Elect. & c. Evidentia* 9. *de Accusat. casu, quò delictum & contumacia publica & notoria est, excommunicationis &c. sententia præviam commonitionem necessariò non exposcit, ut cum Panormit. in c. Ad nostram* 7. *de Jurejur. & Suarez s. cit. n. 18. rectè docent iidem Laiman. n. 6. in fine & Palao p. 5. n. 12.*

Porro censura præmittenda monitio, ut competens & Canonica sit, imprimis facienda est in scriptis, quæ continere debent causam, pro qua censura imponitur, & tradi reo, cui ea imponitur, *cit. Palao n. 9.* Deinde tria esse debet, *c. Constitutionem cit. Glossa in c. Sacro cit. V. Competenti, & c. Reprehensibilis cit. V. Canonica*, vel una triplici æquivalens sive complectens intervalla temporis, inter tres monitiones solita interponi, *arg. l. Contumacia* 53. §. 1. *ff. de Re judicat. fieri coram testibus, c. Sacro cit. ibi, Persona presentibus in doneis, per quas, si necesse fuerit, posse probari monitio:* & ad rei personam, nisi ista realitiosè lat eret; hoc enim casu citatio ad ejus domum aut valvas Ecclesiæ, vel in alio loco publico fieri posset, secundum *c. Quoniam* §. *Porro, ut licet non contest. & Clement. Causam* 3. *de Elect. Covarruv. cit. §. 9. n. 4. Suarez Disp. 3. s. 11. & Coninck Disp. 3. dub. 6. conclus. 1.*

ARTICULUS II.

De Varietate Censurarum.

SUMMARIUM.

24. *Censura alia à Jure, alia ab homine:*
 25. *Alia lata, alia ferenda sententia est.*
 26. *In dubio ferenda potius quam lata sententia censetur.*
 27. *Censura non sunt Depositio & Degradatio:*
 28. *Neque etiam Irregularitas & Censatio à Divinis.*
 29. *Sed tantum Excommunicatio, Suspendio & Interdictum.*
24. **C**ensura sic declarata celebrioris sunt tres divisiones. Prima solum accidentalis, quæ Censura a Jure à Jure, & alia ab Homine dicitur infligita. A Jure est, quæ per sacros Canones, Constitutiones & statuta Ecclesiastica fertur: & auctore, sive Prælato Ecclesiastico, Canonis &c. conditore mortuò, sicut Canon, Constitutio aut statutum, sic etiam ipsa perseverat. Ab homine est, quæ à iudice vel Prælato fertur per modum mandati vel sententiæ judicialis: ab eoque sic pendet, ut ejus jurisdictione morte aliòve modo finitâ à nemine amplius incurratur: licet, qui eam ante incurrerunt, ligati maneant, donec absolvantur, Laiman. *Lbi. 1. tract. 5. p. 1. cap. 2. & Palao Tract. 29. disp. 1. p. 5. n. 2.*
25. Alterâ etiam accidentali divisione Censura ea præsertim, quæ à Jure est, alia Lata, alia Ferenda sententiæ dicitur esse. Ferenda sententiæ est, quæ, licet Jure statuta sit, à delinquente ta-

men non ipsò factò, sive crimine commissò, statim incurritur: sed per sententiam à iudice est infligenda: cujusmodi censura ferè denotatur verbis, futuri temporis habentibus significationem, vg. *Excommunicabitur. Suspendetur, vel Excommunicetur, Prohibemus sub excommunicatione vel Sub pena excommunicationis, Volumus excommunicari &c.* Lata autem, quam delinquens ipsò factò sive criminis perpetratione sine alia sententia condemnatoria incurrit: quales Jure decretæ intelliguntur verbis, præteriti aut etiam præsentis temporis significationem habentibus, vg. *Excommunicamus, Anathematizamus, Suspendimus, Qui hoc fecerit, noverit se excommunicatum, Excommunicationi subiaceat vel in eam incidat, Prohibemus sub excommunicatione, ipsò Jure vel ipsò factò, sine sine alia sententia incurrendâ &c.* Sylvester *V. Excommunicatio 1. n. 22. Castro de Lego Penali Lib. 2. cap. 1. Suarez Disp. 3. de Censur. f. 3. à n. 1. & Laiman. Lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 2. n. 3.*

In dubio, an lata aut ferenda sententiæ censura sit, anceps reddit decisio Gregorii IX. *e. Si quem 50.* declarantis verbò *Excommunicatio* simpliciter prolatò intelligi Majorem: & si contextus aliud non suadeat, Minorem excommunicationem nunquam venire. Verùm, quia in dubiis, & in peccatis præsertim, benigniorem interpretationem faciendam Juris communis *Regula est 155. §. fin. ff. & 49. in 6.* cum aliquid sub excommunicationis, suspensionis vel interdicti pena simpliciter prohibitum, & verba ambigua sunt, ferenda potius, quam Jure lata sententiæ censura decreta censeri debet, ex Sylvestri *V. cit. n. 21. Suarez cit. f. 3. n. 6.* aliorumque DD. sententia communi,

Neque in contrarium facit decisio
 Grego.

Gregoriana e. *Si quem cit.* quia ejus dispositio extensionem non admittit; cum correctoria sit Juris antiqui, quò simpliciter prolata excommunicatione aliquando minorem intellectam, notat *cit. Palao Tract. 29. disp. 2. p. 2. n. 2.*

27. Tertia essentialis, sive generis in subjectas species: quarum Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1.* quinque, scilicet Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum, Cessationem à divinis & Irregularitatem: alii, jam ennumeratis Depositionem & Degradationem addentes, omnino septem recentent.

Sed malè; quia Censuræ, ut dictum, pœnæ sunt Medicinales, c. 1. *in 6. &* delinquente emendato atque à contumacia recedente, auferendæ: depositio autem & degradatio vindicativæ; cùm in delictis præteritis jamque emendatis habeant locum: & inflictæ (sicut etiam, sive ex defectu, sive ex delicto ortæ irregularitates) ex se perpetuæ sunt: & non per absolutionem, ut censuræ: sed per dispensationem tolluntur; eaque de causa à censuris absolvendi, sive à Jure sive ab homine indulta potestas ad eas non extenditur, ut ex Romanæ curiæ stylo Navarrus *Manual. cap. 27. n. 254.* adnotavit. Cessatio etiam à Divinis, si non, ut aliqui volunt, species quadam interdicti, divinorum potius omisso: quàm, ut censuræ, illorum usus prohibitio est: & non, ut pœnæ medicinales, ad correctionem & tollendam contumaciam: sed in signum tristitiæ & mœoris Ecclesiæ, ex illata sibi gravissima injuria conceptæ, indicitur: ejusque per divinorum celebrationem transgressio non inducit irregularitatem, Navarrus *cap. cit. n. 193. & Avila de Censur. p. 1. dub. 5.* quàm à censuratis ministrantibus incurri, exploratum planumque est ex dictis *Tit. 27. à n. 7.* & demum nunquam

à Jure, sed, contrà quàm censuræ solent, semper ab homine imponitur.

Quare DD. plerorumque doctrina constans est, censuræ propriè dictæ species solummodo esse tres, agnitas ab Innocentio III. c. *Quarenti 21. de V. S.* scilicet Excommunicationem, Suspensionem & Interdictum; quòd his solis conveniat *n. 1.* tradita & latè declarata definitio censuræ, Ugolinus *de Censur. Tab. 1. cap. 26.* Suarez *Simili Tract. disp. 1. s. 3. & Lainman. Lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 2. n. 1.*

ARTICULUS III.

De Excommunicatione Majori.

SUMMARIUM.

30. *Fideles inter se communicant in variis bonis.*
31. *Excommunicatio non merè internorum, sed externorum & mixtorum:*
32. *Et, si major sit, omnium communicatione privas.*
33. *In specie autem I. Sacramentorum usu passivo:*
34. *II. Communibus Ecclesie suffragiis:*
35. *III. Sepulturâ Ecclesiasticâ:*
36. *IV. Celebratione & assistentia divinorum:*
37. *V. Habilitate ad obtinenda beneficia & officia Ecclesiastica,*
38. *Et ad pensiones, exigentes ministerium spirituale:*
39. *VI. Distributionibus quotidianis,*
40. *Non etiam fructibus beneficiorum antè obtentorum:*
41. *VII. Usu jurisdictionis Ecclesiasticæ:*
42. *VIII. Impetratione rescripti Gratia & serè etiam Justitiæ:*

43. IX. Communicatione forensi:
 44. X. Ufu cuiuscunque officij publici:
 45. XI. Catera Politicâ communicacione.
 46. XII. Per annum in excommunicatione persistens de heresi est suspectus.
 47. Excommunicatio relaxatur absolutioes;
 48. Extra casum, quò lata est, donec aliquid presertur:
 49. Latam à Jure & non reservatam Prælatus,
 50. Et parochus proprius, ab iisque delegati,
 51. Juris conditor, hujus successor & superior,
 52. Quandoque Regulares, & in mortis articulo quivis Sacerdos:
 53. Latam per sententiam hujus auctor, successor & superior relaxant.
 54. Absolvi excommunicatus potest sub conditione,
 55. Et aliquando ad cautelam & reincidentiam solet.
 56. Forma absolutionis usu recepta,
 57. Et cautio ei pramittenda.

30. **E**Xcommunicatio, sic dicta; quòd segreget à Communione, est Censura Ecclesiastica, quâ homo Christianus ab Ecclesiæ corpore seu fidelium communionem excluditur, & bonis, per quæ illi inter se communicant, privatur, *can. Omnis Christianus* 32. *can. Canonica* 10. *Sc. 11. q. 3.*

Bona autem, quibus inter se fideles communicant, triplicis generis: & quædam quidem merè Interna sunt, ut Fides, Charitas, Gratia, per quam ipsi inter se & cum Christo mysticè copulantur, secundùm Apostolum *1. Corinth. cap. 12. V. 11.* & Ephes. *cap. 4. à V. 2.* Alia autem merè Externa, sive civilia & politica, quæ

in convictu, mutuis colloquiis & salutationibus, in contractibus, commerciis, iudiciis &c. consistunt. Alia Mixta, quæ consistunt in actionibus & ceremoniis exterioribus, interiorum & spiritualem fructum ex sua institutione operantibus: ut sunt communia Ecclesiæ Sacramenta, sacrificia & officia divina, Ecclesiæ suffragia, satisfactio Christi ac Sanctorum, quæ ex communi Ecclesiæ thesauro per Indulgentias fidelibus iustis applicantur, Covarruvias in *c. Alma pr. n. 3.* Suarez *disp. 8. de Censur. f. 1. n. 6.* & Laiman *Lib. 1. Traët. 5. p. 2. cap. 1. n. 2.* Ex quibus bonis excommunicatio non aufert merè interna; quippe quæ nemini invito, & per culpam propriam potius, quàm per peccatam à quocunque inflictam auferuntur: & per culpam seu peccatum mortale ablata recuperari valent, antequam homo ab excommunicatione absolvatur, *c. A nobis 28. V. Vinculum*: sed externa, tam civilia & politica quàm spiritualia & mixta, quatenus omnibus fidelibus communia sunt: quod addo; quia excommunicatio non privat fructu orationum, piorum operum & satisfactorum, quæ alii fideles proprio nomine & privatâ intentione excommunicatis applicant: sed duntaxat iis, quæ nomine Ecclesiæ publicè fiunt & fidelibus applicantur, ut colligitur ex *c. Sacris 38.* Sylvester *V. Excommunicatio 1. n. 2. cit.* Suarez *disp. 9. f. 4. n. 3.* Laiman *n. 3.* & Palao *Traët. 29. disp. 2. p. 6. num. 3.*

Sic declarata Excommunicatio alia Major, quæ, ejus nomine simpliciter prolato, intelligi semper solet, *c. Si quem 59.* alia Minor vocatur. Major est, quæ memoratorum bonorum omnium activâ & passivâ communionem privat; & propterea omnium, quas Ecclesia habet, ultima & gravissima poena est, *c. Cum non ab homine 10. de Judicis*, ex cujus decisione

O o o 3

anathema-

anathemate, hoc est, excommunicatione majori, cum certorum rituum Ecclesiasticorum solemnitate & execratione inflictâ, non respicientes, cum *Ecclesia non habeat ultra*, quod ad correctionem faciat, *per secularem comprimendi sunt potestatem*; ut non immeritò censura hæc in communitatem ferri prohibeatur, *c. Romana 5. V. In universitate*, in 6. ne eâ ligari contingat innocentes: & iudices à S. Synodo Tridentina moneantur; ut eam infligendi potestatem sobriè magnâque circumspectione & non nisi aliis remediis deficientibus exercent, *Sess. 25. cap. 3. de Reformat.*

33. In specie autem Excommunicatio Major privat Primò Ufu Sacramentorum passivò, *c. Cum illorum 32. hæc Rubr. & c. fin. de Cleric. excom. ministr.* cum excommunicato etiam tolerato illicita sit perceptio cujuscunque Sacramenti; ut ejus perceptione graviter peccet: eorundemque usu, per executionem alicujus actûs Ordinis saltem majoris temerè præsumptam, excommunicatus non toleratus seu vitandus, imò toleratus quoque & non vitandus contrahat irregularitatem, supra *Tit. 27. n. 3. & n. 16.* explicatam.

34. Secundò, comunibus Ecclesiæ suffragiis, *c. Sacris cit.* ut pro excommunicatis, saltem vitandis, Ecclesiæ ministri sacrificia & orationes quascunque Ecclesiæ nomine extra feriam sextam Parasceves pro ipsis offerendò graviter peccent. Pro non vitandis etiam sive toleratis ea illicitè offerri, docent Covarruvias in *c. Alma p. 1. §. 6. n. 4.* Bellarmin. *de Missa Lib. 2. cap. 6.* & Suarez *cit. disp. 9. f. 2. n. 16.* quod *Extravag. Ad evitanda*, à Martino V. in Concilio Constantiensi editâ, fidelibus ea tantùm cum excommunicatis toleratis communicatio indulta sit, quæ cedit in utilitatem ipsorum: non, quæ cedit in favorem ipsorum excommunicatorum:

quorum utique maximus favor esset, si sacrificia, oblationes & orationes publicè pro ipsis fieri possent. Verùm, quia excommunicati eodem modò à communibus Ecclesiæ suffragiis, quò à cætera cum fidelibus communicatione exclusi sunt, sicut in hac, sic etiâ in dictis suffragiis communicare fideles, si quando volunt, cum ipsis valent, & satis probabiliter permittuntur ab Ugolino *de Censur. Tab. 2. §. 2. n. 3.* Henriquez *Lib. 13. cap. 11. n. 2.* Coninck *disp. 14. dub. 6. n. 40.* & Palao *cit. disp. 2. p. 6. n. 10.* partim; quòd à memorato Concilio cæteris fidelibus communicatio cum toleratis permittâ sit, *Tam intus quam extra*, hoc est, sicut in externis, sic etiam in Divinis; ac proinde etiam in orationibus & oblationibus; quia id favorabile fidelibus est ad evitandos scrupulos, qui facilè oriuntur, cum dubium est, an hi vel illi excommunicati sint aut secus: partim verò; quia ante dictum Concilium suffragia publicè fieri poterant pro excommunicatis occultis, *c. Cum non ab homine 14.* Ergo etiam post illud à fidelibus volentibus fieri poterunt pro toleratis; quia à Concilio illo in divinis communicare fideles solum prohibentur cum denunciatis & cum notoriis percussoribus clericorum.

Tertiò, Sepulturâ Ecclesiasticâ, *c. 35. Consulisti 7. de Consec. Eccles. c. Sacris 12 & Clement. 1. de Sepult.* ad quam Rubricam tamen sepulturâ illâ hodie excommunicatos solum vitandos, eos tamen etiam, qui cum penitentia signis decesserunt, privari, dictum est *n. 5.*

Quartò, Celebratione & Assistentiâ 36. divinorum officiorum, *c. Latores, c. fin. cit. c. Significavit 18. c. Responso 43. hæc Rubr. & c. Alma 24. ibid. in 6.* ut excommunicatus sacrificio Missæ, horarum Canoniarum decantationi, publicis orationibus ac processionibus, concionibus, benedictioni-

nedictionibus aquæ, chrisimatis & olei sancti interesse præsumens graviter peccet: nisi eum ignorantia, vel scandali, infamiae, aut alterius gravis damni vitandi necessitas excuset: vel, si toleratus sit, & ab alio v.g. sacerdote altaris ministrum alium non habente, requiratur, Suarez *cit. disp. 12. f. 1. n. 3.* Palao *p. 9. n. 2.* & Bonacina *de Censur. disp. 2. q. 2. p. 3. §. 1. n. 3.* Casu autem, quò excommunicatus vitandus divinis interesse præsumeret, ut exeat, monendus, & si opus sit, vi compellendus: quòd si nequeat, ceteris fidelibus recedendum est, & ipsi etiam sacerdoti, nisi Missam celebrans jam consecravit; hoc enim casu, imò etiam verbis *Qui pridie quam pateretur*, jam inchoatis, usque ad sanctissimi Corporis & Sanguinis Christi consumptionem persistere; eà autem factâ, reliquis omissis, recedere debet, *Clement. 2. §. Nonnulli*, Navarrus *Manual. cap. 27. n. 33.* Sylvester *V. Excommunicatio §. n. 3. citr.* Suarez *à n. 11.* & Laiman *cap. 2. n. 6.* Privatim tamen orare & concionem etiam in Ecclesia, dum in ea nullum divinum officium celebratur, audire permittitur, *c. Responso 43.* & tenetur ad horarum Canonicarum recitationem, ad quam aliàs ratione Ordinis, beneficii vel Religiosæ professionis est adstrictus, *citr.* Navarrus *n. 103.* Suarez *f. 2. à n. 13.* & Laiman *n. 6.*

37. Quintò, excommunicatus inhabilis est ad Dignitates, Beneficia & Officia Ecclesiastica quæcunque obrinenda; ut, quantumvis aliàs toleratus sit, ejus electio, præsentatio, nominatio, collatio irrita sit, *c. Postulâstis 7. de Cleric. excom. ministr. citr.* Navarrus *n. 21.* Covarruvias *p. 1. §. 7. n. 2.* Suarez *disp. 13. n. 2.* Laiman *n. 8.* Bonacina *p. 4. §. 8. n. 1.* & Palao *p. 10. à n. 1.* Ratio est; quia excommunicato prohibitum est officium divinum, propter quod, & non nisi ejus capacibus beneficium da-

tur, *c. fm. de Cleric. excom. ministr. & c. fm. de Rescript. in 6.* Beneficiò tamen jam possessò non privatur, & ante excommunicationem collati possessionem capere potest; quia Jure solum irritatur actus, quò acquiritur jus in beneficio, sive ejus titulus: quem jam acquisitum, possessionis apprehensio supponit.

Dubium & dissensio inter DD. est 38. de Pensione. Cujus excommunicatum esse capacem asserentibus & negantibus aliquid tribuendum; ut censurâ illâ ligatus, sicut à pensione, spirituale ministerium sive officium v.g. coadjutoris vel cooperatoris annexum habente, tanquam inhabilis removendus est, *arg. ec. fm. citr.* quòd hujusmodi pensio naturam beneficii imitatur: sic verisimiliter capax sit pensionis, cui ejusmodi ministerium annexum non est: ut quæ propter officium merè temporale vel in subsidium congruæ sustentationis aliunde deficientis assignatur; quia istius excommunicato facta collatio Jure irritata non reperitur: cujus distinctionis scedere inter se pugnantes DD. Opiniones conciliant *citr.* Laiman *p. 2. cap. 2. n. 8.* Palao *n. 6.* & alii, pro se allegantes S. Congreg. Cardd. Interpp. declarationem.

Sextò, excommunicatio privat Distributionibus quotidianis, quæ dantur pro præsentia; quia excommunicatus interesse nequit divinis officiis: à quibus absentes non percipiunt distributiones, *c. Unico, de Cleric. non resid. in 6.* & Trident. *Sess. 24. cap. 12. de Reformat.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 13. n. 8.* Garcias *p. 7. de Benef. cap. 13. n. 125.* & Moneta *p. 2. de Distribut. q. 15. n. 18.*

Fructibus quoque beneficiorum suorum excommunicatum ipsò Jure privatur, cum Panormit. *in c. Pastoralis §. 3. §. Verium, de Appellar. n. 17.* docent *citr.* Covarruvias *n. 8.* Gutierrez *Lib. 1. §. 2. Canon. cap. 1.*

cap. 1. n. 70. Suarez cit. disp. 13. f. 2. n. 2. & Moneta cit. n. 18. id defuentes ex §. vii. ubi relatò Innocentii III. rescriptò proventus Ecclesiastici subtrahendi asseruntur ei, cui Ecclesiæ communicatio negatur. At verius excommunicatum fructibus illis ipsò Jure non privari, censet Glossa in §. cit. V. Subtrahuntur: quam secuti sunt Sanchez Lib. 3. de Matrim. disp. 51. n. 12. Vasquez de Benef. cap. §. 3. dub. 4. citr. Laiman n. 9. Bonacina p. 4. §. §. n. 2. & Palao p. 11. n. 4. Ratio, quàm moventur, est; quòd eorum privatio nullò Juris textu apertè infligatur: & propterea §. cit. textus de ea per sententiam infligenda, hòc ipsò; quòd possit, sit exaudiendus, arg. Reg. Factum 155. §. fin. ff. Reg. Odia 15. in 6.

Septimò, Usu jurisdictionis Ecclesiasticae, can. Andrimus 24. q. 1. c. Ad probandum 24. de Sent. & re jud. ut eam, tam in interno quàm in externo foro validè nequeant exercere, per tradita supra Tit. 27. à n. 9. Lib. 2. Tit. 1. n. 27. & Lib. 5. Tit. 27. n. 2.

Octavò, eadem obstat impetrationi Rescripti Apostolici, tam Gratiæ quàm Justitiæ; ut id, super alio quàm excommunicationis vel appellationis articulo impetratum, invalidum sit, c. Dilectus 26. de Rescript. §. c. 1. eadè Rubr. in 6. ut ribi dictum à n. 18. Verùm, quia ad effectum valoris ejusmodi rescriptis inferi solet absolutio ab omnibus censuris, huic excommunicationis effectui rarè locum esse, restè observant Coninck disp. 14. dub. 10. pr. & Palao p. 12. n. 2.

Nonò, eadem privat communicatione Forensi sive actibus pertinentibus ad judicium; ut esse nequeat judex: & si actoris etiam, procuratoris, tabellionis vel testis partes suscipiat, per exceptionem à parte, vel ex officio à judice valeat: & si vitandus sit, debeat repelli, c. A nobis 2.

de Except. §. c. Decernimus 8. hanc Rubr. in 6. Quod si non fiat, valida erit sententia ceteraque acta judicialia, præterquam si excommunicatus vitandus sit judex; cum enim iste careat actuali usu jurisdictionis, ejus acta non valebunt, c. Ad probandum cit. ubi Glossa V. Inmodatus, Felinus pr. & Panormit. n. 2. Excipiendus tamen est reus: cujus partes subire potest ac debet excommunicatus in judicio conventus; ne à sua malitia commodum reportet, c. Intelleximus 7. de judiciis, ubi hac de re actum à n. 27.

Decimò, Usu cujuscumque officii publici, vg. tutoris, curatoris, executoris testamenti, præfecti hospitalis; quia hæc munera geri nequeunt sine communicatione cum aliis fidelibus, excommunicato interdicta. Acta tamen ab excommunicato, hujusmodi officio fungente, si contra eum exceptum non sit, pro validis merito habent citr. Suarez disp. 16. f. 8. n. 4. & Palao p. 15. n. 1. quòd, licet autoritate publicè constituatur, nullam tamen habeat jurisdictionem: à qua sola pendentes actus Jure irritati reperiuntur, c. Ad probandum cit.

Undecimò, ceterà communicatione Politica; non eà duntaxat, quæ celebratione contractuum, negotiorum gestione: sed eà etiam, quæ cohabitatione, convivio, commerciis, familiari conversatione & colloquiis officiosis, salutationibus &c. exercetur, can. Sicut 16. can. Ad mensam §. c. 11. q. 3. c. Nuper 29. c. Si aliquando 41. §. c. hanc Rubr.

Duodecimò demum, excommunicatus, si in excommunicatione, ob quamcunque causam ab homine inflicta, toto anno contumaciter persistat, sive, ut Jura loquuntur, obduratò animò inforDESCAT, de hæresi redditur suspectus, Trident. Sess. 25. cap. 3. de Ref. ut, si nullum impedimentum alleget, scèque purgare recuset,

erit, condemnari tanquam hæreticus possit, *c. Cum contumacia 7. de Hæreticis in 6.* quod in ea sic perleverans de Ecclesia ejusque potestate malè sentire præsumatur, Navarrus *cit. cap. 27. n. 23.* Covarruv. *in c. Alma p. 1. §. 7. n. 10.* Avila *de Censur. p. 2. cap. 6. disp. 9. dub. ult. & Palao cit. disp. 2. p. 20. n. 2.*

47. Excommunicatio major semel contracta, etiam delinquentis contumaciã cessante, plenãque satisfactiõne parti læsã exhibitã, ut cesset, auferri debet per absolutionem, *can. Si Episcopus 11. q. 3. c. Ex literis 11. de Constitut. c. Quã fronte 25. de Appellat. c. Cum desideres 15. Et. hãc Rubr. quantumvis ejus author five is, à quo inflicta est: & reus etiam, cui inflicta est, moriatur, c. Pastoralis 11. §. Præterea, de Offic. Ordin. c. A nobis 28. c. Sacris 38. bte & c. Is cui 20. in 6. Navarrus Manual. cap. 27. n. 271. Covarruvias *in c. Alma p. 1. §. 11. n. 8.* Suarez *Disp. 7. de Censur. si. 1. pr. & n. 5.* & Laiman *Lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 7. n. 1.* Nisi fortè in aliquem*

48. ejus sententia sic feratur; ut v.g. si intra triduum debiti solutionem vel satisfactiõnem pro damno vel injuria illata non exhibuerit, excommunicatus sit, maneatque, donec solverit aut satisfecerit; ea enim, quæ sic infligeretur, præstitã solutione vel satisfactiõne probabilis tolleretur sine alia absolutione; cum hanc implicitè contineat ipsa ejus sententia: quæ, sicut debitore intra triduum satisfactiõnem vel solutionem non exhibente, sine alia declaratione ligat, sic istis præstitis absolvere videtur; ne verba *Donec solverit &c.* careant effectu, *cit.* Covarruvias *n. 5.* Suarez *n. 11.* & Coninck *n. 226.*

Neque obstat, quod excommunicatio aliaque censura sint introductæ sacris Canonibus; ac proinde actus legitimi, qui conditionem vel diem non recipiunt, secundum *Reg. 50. in 6.* quia legitimum

actum nomine hãc Regulã illi tantum veniunt, quibus ex natura & institutione sua vel speciali Juris dispositione conditio, quæ ejus effectum à futuro eventu dependentem reddat: vel dies, ex quo primum eum sortiatur, adjici non potest, ut sunt Baptismi, Eucharistia, Pœnitentiã Sacramenta: non generaliter omnes actus, lege vel canone introducti vel approbati; cum actibus, ab humana voluntate dependentibus, etiam iis, qui lege vel canone introducti vel approbati sunt; ac proinde etiam excommunicationis aliisque censuris conditionem vel diem adjici, neque eorum natura, neque Jus aliquod vetet, Laiman. *cit. cap. 7. n. 1.* & Barboza *in Reg. 50. cit. num. 5.*

49. Qui autem extra allatum casum majori excommunicatione ligatum absolvere valeant, ut planius constet, præ oculis habendum est discrimen inter censuras vel potius inter duplicem eas ferendi modum: & an ea lata sit simpliciter, vel cum reservatione.

Primò enim ab ea, quæ Jure, aut etiam per sententiam generalem ab homine lata & non reservata est, absolvere subditos suos possunt non solum Episcopi, Abbates, Priores, Rectores & similes Regularium superiores, fori externi jurisdictionem in illos obtinentes, *c. Nuper 29.* sed parochus quoque & ex istius & illorum commissione sacerdotes alii, ut colligitur *exc. cit. Verbis Ab Episcopo vel proprio sacerdote:* cujus *c. decisio,* licet de excommunicatione minori sit, majorem tamen, comprehendit. Ratio enim, quæ ea unice nititur, est; *Quia conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit.* Unde eò ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi, ut cum Innocentio *in c. cit. n. 6.* & S. Thoma *in addit. 3. p. 9. 23. art. 2.* observant Sylvest. *Abolutio 1. n. 4.* Navarrus *cap. 27. n. 39.*

PPP

27. n. 39.

27. n. 39. & Suarez cit. f. 1. n. 23. § 28.

Difficile hoc nonnullis reddit ratio; quia, juxta dicta n. 15. parochus ob defectum jurisdictionis fori externi excommunicatione aliave censurâ subditos suos ligandi caret potestate, quæ cum ligatos absolvendi potestas est conjuncta, Matth. cap. 16. v. 19. & can. Verbum 51. dist. 1. de Pœnit. Verum, si hæc ratio bene concludit, parochis etiam minori excommunicatione ligatos absolvendi potestas neganda est, contra c. cit. dēcisionem: quæ quia omnino clara est, ab utraque excommunicatione absolvendi facultas parochis est adstruenda. Ne autem id iustō difficius accidat, statuendum est, eam potestatem parochis non competere proprii officii seu muneris sui ordinarii ratione: sed ex delegatione Juris, ab excommunicatione absolvendi duntaxat, non etiam ligandi potestatem ipsis committentis, ut præter laudatum Suarez ponderat Ugo-
linus Tab. 1. de Censur. cap. 10. §. 5. n. 3.

§ 1. Secundo, simili modō ab ejusmodi excommunicatione, Jure latâ, istius conditorem, successorem, ab utroque delegatum, & superiorem absolvere posse, colligitur ex c. Nuper 29. & cum Panorm. in c. Ex frequentibus 3. de Institut. n. 7. docent citr. Suarez f. 5. n. 1. & Laiman p. 2. cap. 6. n. 2. exceptis tamen nonnullis casibus: quibus ab excommunicatione, Jure latâ, absolvere possunt inferiores, veluti Primò in articulo vel periculo mortis: in quo constitutos à quacunque à Jure vel homine lata excommunicatione absolvere valet quilibet sacerdos, ex decreto Trident. Sess. 14. cap. 7. de Sacrament. Pœnit. recepto tamen juramento, cessante illò periculo, se quamprimum præsentandi ei, à quo de Jure erant absolvendi, c. Eos qui 22. in 6. Quò modò tamen absoluti si juramentum implere, seque ei præsentare negligant, in suam & reservatam ex-

communicationem reincident, c. cit. Covarruvias in c. Alma cit. p. 1. §. 11. in 6. Suarez disp. 22. f. 1. n. 62. & Barbosa in c. cit. n. 2. Secundo, ab excommunicatione can. Si quis suadente 17. q. 4. Episcopi, Abbates & alii Regularium superiores subditos suos absolvere Jure permittuntur variis casibus, à n. 97. referendis. Tertio à cæteris etiâ excommunicationibus sediti Apostolicæ reservatis (exceptis, quæ in Bulla Cœnæ continentur) absolvendi potestatem ex privilegio obtinent Religiosi Mendicantes, & alii, cum ipsis in privilegiis communicantes, ut habet Compend. Privileg. f. 7. v. Absolutio, §. 1.

Tertio, ab excommunicatione ab homine lata per sententiam specialem regulariter absolvit auctor five is, à quo ea est lata: dummodo ejus jurisdictione per renuntiationem vel depositionem extincta, vel per censuram suspensa vel, si delegatus eam tulit, delegatio finita non sit, c. Pastoralis 11. §. Præterea, de Offic. Ordini & c. Quarenti 26. de Offic. deleg. ejusque successor, can. Si Episcopus, 11. q. 3. non solum perpetuus: sed temporaneus quoque; ac proinde ab Episcopo inflicta, vacante sede, Capitulum, c. Unico de Major & Obed. in 6. & delegatus, arg. Reg. Qui facit 72. in 6. exceptis nonnullis casibus, quibus ab inferiori lata excommunicatio sedis Apostolicæ absolutioni specialiter reservatur, quos refert cit. Palao disp. 1. p. 11. §. 4. Ab eadem excommunicatione absolvere etiam potest auctor superior, obtinens plenam jurisdictionem in eum, qui excommunicationis vinculo est ligatus: qualem in fideles omnes Papa, Generalis in Ordinis, Provincialis in provincia suâ Monasteriorum vel collegiorum Regularium: non etiam in suffraganeorum suorum subditos Archiepiscopus habet; cum enim iste in illos jurisdictionem non habeat, præterquam

quam in appellationis & quibusdam aliis casibus Jure expressis, *can. 1. can. Nullus Primas 7. Co. 9. q. 3. Et Pastoralis cit. pr.* à suæ provincie Episcopo excommunicatos absolvere nequit, nisi ad ipsum provocatum sit appellandò, Panormit. in §. *Præterea cit. n. 1. cit.* Navarrus n. 40. Suarez s. 2. à n. 2. & Laiman cap. 7. n. 2.

54. Absolvi ab excommunicatione possunt non solum præsentés, sed absentes quòque: & variè solent; aliquando enim simpliciter & absolutè, ut rei à contumacia recedentes & emendati: aliquando sub aliqua conditione, ut excommunicatus à censura liberetur, *Si debitum soluerit, Cùm præstiterit satisfactionem*: aliquando ad cautelam, ut vocant, sive ad cavendum damnum, vg. gratiæ Apostolica, electionis vel collationis beneficii nullitatem &c. quòd censuræ ignorantiam habens ex ea sentiret; quomodo ad vitandam Sacramenti irreverentiam absoluti à peccatis in foro conscientie præmitti solet absolutio à censuris: aliquando ad reincidentiam sive, ut absolutus, si opus vg. solutionem aut aliam satisfactionem intra certum tempus non exequatur, si, periculò mortis cessante, vel aliò impedimentò sublatò, se non sistat ei, à quo absolvi de Jure deberet, in similem excommunicationem reincidat: vel etiam ad certum duntaxat effectum, vg. ut excommunicatus testimonium perhibere in judicio, aliòve actum censurato non permissum valeat exercere. Quò tamen postremò modò absolutus non ab ipsa excommunicatione aliave censura, sed ab aliquò tantum effectu, vg. impedimento sã inducò liberatur, *cit.* Laiman p. 1. cap. 7. n. 6. Palao disp. 1. p. 11. §. 2. à n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. à n. 165.

56. Forma absolutionis ab hac, & reliquis etiam censuris, nulla Jure præscripta: usù tamen, cùm ea præsentibus confertur,

approbata est, *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi vg. sacrilega percussione, & restituo te Sacramentis Ecclesie & fidelium communi- ni, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.* Cui in publica & solenni absolutione Pfalmus aliquis Penitentialis præmitti, & adhiberi solent certi ritus, *c. A nobis 28.* & in Pontificali Romano præscripti.

Ante absolutionem exigi & præstari à reo debet duplex cautio. Una de parendo mandatis Ecclesie & ipsi absolventi sive, quòd ab ejusmodi crimine in posterum velit abstinere, *c. Ex tenore 10. Et c. Adhac 12.* quæ tamen exigi ferè tantum solet, & excommunicatis ob crimen valde enorme & perniciosum, ut violentas manus injicientis in clericum, falsarii, incendiarii & similibus sunt. Altera de satisfaciendo parti læsæ sive ei, cui injuria vel damnum illatum est per delictum, ob quòd excommunicatio à Jure vel homine est inflicta, ut colligitur ex *c. Soler 2. in 6.* nisi ei actu jam satisfactum esset, vel cum ea transactum; si enim hoc factum non sit, nec fieri statim queat, de ea faciendæ præstari cautio debet per pignora aut fidejussionem: vel, si talis præstari ob inopiam aliàmve causam nequeat, per juramentum, *arg. Auth. Generaliter C. de Episc. & Cleric.* Panormit. in c. *Qua fronte 25. de Appell. n. 17.* Sylvester V. *Absolutio 3. n. 3.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 13. n. 23.* & Laiman *cit. p. 2. cap. 6. n. 8.* ubi tamen monet, in foro interno aliquando sufficere simplicem promissionem.

ARTICULUS IV.

De Excommunicatione Minori.

P p p a

SUM.

SUMMARIUM.

58. Ista directè solò usu Passivò Sacramentorum :
59. Indirectè istorum etiam administratione privat,
60. Et impedit hanc exposcentia beneficij collationem.
61. Unde gravis pœna Ecclesiastica etiam ipsa est.
62. Incurritur fere solà communicatione cum censurato vitando,
63. Hoc est publicè denunciatio vel notorio clerici percussore.
64. Fidelium communioni ultro se ingerere nequit excommunicatus tolleratus.
65. Ei tamen communicare cateri fideles possunt :
66. Non etiam, nisi aliquando per accidens, tenentur.
67. Cum vitando communicantem à minori excommunicatione aliquando ignorantia,
68. Magna necessitas,
69. Utilitas spiritualis & temporalis,
70. Lex matrimonij,
71. Et subiectio excusat.

56. **M**inoris excommunicationis species olim fuere variae; quædam enim solà communionem hominum: alia solà perceptione Sacramenti Eucharistiae: alia omnium Sacramentorum participatione privabant, ut colligitur ex variis *cann. 11. q. 3.* Hodie fere postrema hæc sola usu recepta, ac proinde excommunicatio minor unica est, privans Sacramentorum quorumcunque receptione seu usu passivo, *c. A nobis 2. de Except. & c. Si quem 59. hæc Rubr.* ut eâ ligatus absque iusta necessitate Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Ordinis &c. Sacramenta su-

scipiens graviter peccet, *c. fin. de Cleric. excom. ministr.*

Quantumvis autem hæc usus Sacramentorum privatio istius censuræ effectus directus & propriè dictus unicus sit, indirectè tamen & in consequentiam ea etiam obstat Inprimis Sacramentorum administrationi; quòd indecens sit, Sacramentum aliquod administrari ab eo, qui ab ejus perceptione tanquam indignus est remotus, Sylvester *V. Excommunicatio 4. n. 1. cit.* Covarruvias *p. 1. §. 8. n. 2. Suarez disp. 24. f. 2. n. 11. & Laiman cap. 3. n. 4.* Deinde impedit ascensionem dignitatis & beneficii Ecclesiastici, si non cujuscunque, saltem ex munere suo Sacramentorum receptionem exigentis. *c. fin. cit. Ubi Barbofan. 3. cum enim ex Ecclesiæ institutione quæcunque, & saltem ejusmodi beneficia clericis conferantur, ut Ordines recipiant & celebrent, ab Ordinis & Eucharistiæ susceptione prohibitis etiam beneficii collatio prohibita censetur ex Regula, quæ dicitur, aliquò prohibito prohibito censeri omne id, per quod ad illud pervenitur, arg. *l. Oratio 10. ff. de Sponsal. ne, quod unâ viâ prohibetur, aliâ admittatur, contra Reg. Cùm quid 84. in 6.* Collationem tamen beneficii hujusmodi excommunicato factam merò Jure validam esse, *c. fin. cit.* notat Glossa *V. Eligere, Barbofan. 3. Gonzalez n. 7. cit.* Suarez *n. 22. & Laiman. n. 5.* Unde*

Patet, excommunicationem hanc **61.** minorem dici, non; quòd res levis sit: sed comparatione majoris tantum seu gravioris excommunicationis, partim; quòd ob minorem, quàm ista, & aliquando ob venialem tantum culpam incurratur: partim; quòd, licet non paucis, minoribus tamen bonis, quàm major privet & facilius, quàm ista tollatur; cum ab ea in interno sive Conscientiæ foro absolvi proprius sacerdos, hoc est, cujusvis pa-

rochus

rochus & ab isto delegatus valeat, *c. Nuper 29. Sylvester V. cit. n. 2. & V. Absolutio 1. n. 3. cit. Covarruvias §. 12. n. 6. & Suarez f. 4. n. 2. In interno, inquam; quia in externo foro absolvere ab ea potest, qui in isto habet jurisdictionem, cit. Palao p. 21. n. 21.*

62. Incurritur hæc excommunicatio hodie ex Juris dispositione, & ex consuetudine etiam ferè per solam indebitam communicationem cum excommunicato vitando, *c. Cum desideres 15. & c. Nuper 29.* non vivente tantum, sed mortuò quoque, *vg. ejusmodi excommunicati defuncti cadaver sepeliendò; cum, quibus non communicamus vivis, nec mortuis communicare debeamus, can. 1. can. Sandè 24. q. 2. & c. Sacris 12. de Sepult.* Neque solum per communicationem in crimine, ut vocant, criminoso sive eo, ob cujus causam excommunicatione percussus est: sicut *vg. excommunicato communicat clericus cum muliere, ob concubinatum clericorum publicè excommunicata, in concubinaria consuetudine perseverans; & ei, qui restitutionem aut satisfactionem aliam exhibere à judice Ecclesiastico jussus, & quod contumaciter renueret, eadem censurà publicè ligatus est, consilium vel auxilium præstantes & cooperantes; cum tales sua cum excommunicato communicatione non minorem tantum, sed majorem excommunicationem incurrant, c. Si concubine 55. & c. Statuimus 3. in 6.* Sedin aliis rebus etiam merè politicis, puta in contractibus, judiciis, convivis, conversatione &c. & multò magis in spiritualibus ac divinis *vg. in Sacramentis, sacrificio Missæ, officiis divinis, sepultura Ecclesiastica; quantumvis enim cum excommunicato vitando communicatio in politicis per se venialiter duntaxat: in divinis tamen saltem publicè celebratis cum eo communicatio mortaliter peccaminosa*

est ex communi sententia DD. Imò à clericis cum eo, qui à Papa per sententiam nominatim excommunicatus & denuntiatus est, scienter & sponte communicantibus, major excommunicatio, Papæ absolutioni reservata, incurritur, *c. Significavit 18. Sylvester V. Excommunicatio 5. n. 22. cit. Covarruv. p. 1. §. 3. n. 4. & alii apud Barbosam in c. cit. n. 2. & Gonzalez n. 4. Unde*

Dubium nascitur, quinam excommunicati sint vitandi. Et Jure quidem antiquò tales fuere quicumque majori excommunicatione, à Jure vel ab homine latà, ligati: eò solum discrimine; quòd ii, quorum excommunicatio publica & notoria, publicè: ii verò, quorum excommunicatio publicè nota non fuit, à cæteris fidelibus ejus conscis privatim tantum vitandi essent, *c. Cum non ab homine 10.*

Cum tempore tamen Jura mutata, & à Concilio Constantiensi, sub annum Christi 1414. celebratò, à Martino V. edita *Extravag. quæ incipit Ad evitanda,* ad excludenda varia scandala & pericula, quæ conscientis timoratis accidere posse est animadversum, Christi fidelibus indultum est; ut nemo deinceps à comunione alicujus, quacunque censurà, sive à Jure sive ab homine generaliter latà, ligati *Intra* *vg. in Sacramentorum administratione vel perceptione & aliis quibuscunque divinis, vel extra sive in humanis abstinere, eumque vitare teneretur: nisi sententia contra personam &c. certam à judice specialiter & expressè publicata fuerit: vel eum pro sacrilega manu injectione in clericum excommunicationem à canone latam adè notoriè constiterit incurrisse, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, aut aliquò suffragio excusari, ut videre est apud S. Antoninum 3. p. Tit. 26. cap. 3. Sotum in 4. dist. 22. q. 1. arr. 4. & Gutierrez Q. Canon.*

Lib. 1. cap. 1. n. 1. Extravagantis illius tenorem referentes,

63. Hæc tamen Constitutione non obstante, hodie quoque eos saltem, quorum excommunicatio ex quacunq[ue] causa contracta notoria est, cæteris fidelibus vitandos, cum Felino in *c. Rodolphus 35. de Rescript. n. 39.* voluit Navarrus in *can. 1. §. Laboret, de Penit. disp. 6. n. 10.* & Covarruvias *cit. p. 1. §. 2. n. 27.* propter Concilium Basileense: cujus *Seff. 20. ad finem* vitandi asseruntur non illi solum, in quorum personas censura per sententiam à iudice publicata & denunciata est specialiter & expressè: sed generaliter, quoscunque ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incurrisse; ut nullà tergiversatione celari nullòque Juris suffragiò excusari possint: cujus tanquam posterioris Concilii decretum Constantiensis prævalere, *cit. DD. suadent arg. l. Sed & posteriores 28. ff. de LL. §. c. 1. de Constitut. in 6.*

Sed meliori ratione & frequentiori suffragiò Constitutione Constantiensis hodie standum, docent alii: quorum sententiam amplexi sunt Suarez *Disp. 9. f. 2. n. 5.* Henriquez *Lib. 13. cap. 5. n. 1.* Coninck *Disp. 13. dub. 2.* & Laiman, *cit. p. 2. cap. 4. n. 1.* partim; quòd Concilium Basileense tanquam acephalum ab Eugenio IV. revocatum, & Nicolai V. Apostolica auctoritate, exceptis paucis decretis, beneficiorum collationes, dispensationes & censurarum absolutiones spectantibus, confirmatum nunquam fuerit: partim verò; quòd *cit.* Constitutionem Martini V. approbavit consuetudo, quæ est optima legum interpres, *c. Cùm dilectus 8.* & si rationabilis est, legitimèque præscripta, Juri Ecclesiastico derogandi vim habet, *c. fin. de Consuet. præsertim in partibus Septentrionalibus: in quibus hæretici notorè alique excom-*

municati, exceptis duntaxat notoriis clericorum percussoribus, & dictò modò denunciatis, passim non vitantur.

64. Quamvis autem cum excommunicatis toleratis communicatio cæteris fidelibus sit permissa, ipsi tamen excommunicati etiam tolerati communioni fidelium ultro se ingerere non possunt: nisi ab iis requirantur; quia à Concilio directè nullum favorem censuratis, sed aliis duntaxat indultum, disertè expressum est *Extravag. cit. verbis, Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos &c. non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.*

65. Quantumvis etiam, extra relatos duos casus, cum excommunicatis cæteri fideles hodie communicare, tam in sacris quam in prophanis, liberè valeant, ad id tamen minimè tenentur: sed, si velint, à communionem cum iis privatim; & si eorum excommunicatio notoria sit, publicè abstinere; ac proinde Prælati excommunicati etiam tolerati imperium recusare, à parochi censurati Missa recedere, oppositâ exceptione iudicem declinare, actorem, procuratorem, testem excommunicatum repellere sine injuria possunt. Ratio est; quia à Concilio Constantiensis nullus favor indultus non est ipsis censuratis, sed cæteris solummodo fidelibus: qui favore sibi indulto uti non coguntur, *arg. Reg. Invito 69. ff. de R. l. ne, quod concessum est ob gratiam, in eorum dispendium retorqueatur, contra Reg. Quod ob gratiam 61. in 6. Laiman. cit. cap. 4. n. 2. §. Tertium, Pirching ad hanc Rubr. n. 115.* huic suæ doctrinæ subjicientes justam exceptionem: nisi alicujus regionis consuetudo aut fœdera publicæ cum ejusmodi censuratis communicationem postularent: ex qua causa in Germania nostra hæretici à muneribus publicis, à contractibus, judiciis & similibus

libus actibus aliis excludi non possunt ab Orthodoxis: sicut contra per accidens cum excommunicato tolerato communicare alii fideles non possunt, v.g. si, eum sua evitacione emendandum, vel communicatione in contumacia confirmandum, advertant; quod tali casu eum vitari exigat lex Charitatis, *citt. Suarez Disp. 11. f. 4. n. 3.* & Coninck *dub. 3. conclus. 6.* uti etiam, si ab eo Sacramenta sacrilegè ministranda intelligant; cum, hóc casu Sacramenta ab eo peti, iis debita reverentia non permittat.

67. Non desunt tamen, & *can. Quoniam* 11. q. 3. & à Glossa in *c. Cum desideres* 15. *V. Penam*, referuntur casus & causæ, ex quibus cum excommunicatis etiam vitandis, saltem in humanis, communicatio fidelibus innocentibus jure est permittita. Et prima quidem causa est Ignorantia: quæ eos etiam in divinis cum excommunicato communicantes à culpa & poena excusat, sive ea Facti sive Juris sit; quod aliquem censurâ ligatum aut propter eam vitandum, ignorent: dummodo ignorantia crassa non sit ac supina, *c. fin. de Constit. in 6.* hæc enim cum scientiæ equiparetur, eâ laborantibus non patrocinator, *citt. Suarez Disp. 15. f. 3. n. 2.* & *Laiman. cit. Tract. 5. p. 1. cap. 4. n. 8.* & *Pirrhing n. 118.*

68. Secunda, gravis Necessitas, *c. Inter alia* 31. & *c. Si verè* 34. Nec solum à violentia aut metu injustè incusso: sed etiam ex victus, vestium, medicinæ aliorumque vitæ subsidiorum, vel ex consilii aut auxilii necessarii defectu proveniens, *can. Quoniam cit.* Unde istorum indigus, si aliunde deficiant, ab excommunicato etiam vitando ea petere, eique petenti subministrare licitè potest, *citt. Suarez f. 3. n. 8. Bonacina q. 2. p. 6. §. 2. à n. 57. & Palao p. 19. n. 28.*

69. Tertia, Utilitas spiritualis & tem-

poralis, tam ipsius excommunicati, quam communicantis cum eo; sic enim excommunicatò vitandò præfente, concio haberi, eive loqui licet in iis, quæ pertinent ad ejus correctionem, absolutionem & salutem animæ spiritualem, *c. Cum voluntate* 54. *pr.* Sic creditor ab eo debitum exigere, *c. Si verè* 34. eumque convenire in judicio potest, *c. Intelleximus* 7. *de Judiciis*: licet excommunicatus creditor à debitore in judicio convento per excommunicationis exceptionem valeat repelli, *arg. c. cit.* Sic à medico vel advocato censurato medicinam vel consilium petere licet, *citt. Suarez n. 9. Bonacina à n. 9. & Laiman. p. 2. cap. 2. n. 16. & Palao n. 2.*

70. Quarta, Lex matrimonii, *can. Quoniam cit.* vi cujus viro excommunicato ac vitando uxor etiam non excommunicata debitum reddere, & ab illo exigere, eique in gubernatione domus, in mensa, colloquiis, & aliis obsequiis conjugali-communicare licitè potest, *c. Inter alia cit.* Quod etiam marito licet respectu excommunicatæ uxoris; quamvis enim *can. cit.* istius tantum expressa mentio fiat, idem tamen etiam marito permittitur, desumitur ex *c. Inter cit.* cujus textu socio contractus ante excommunicationem initi communicatio cum laico censurâ ligato indistinctè permittitur: & suadet ratio; quod in correlativis dispositum de uno, etiam de altero censeatur dispositum, quando eadem ratio est utriusque: sicut eadem est in proposito; cum animæ periculum, quod communicationis uxori permittæ ratio fuit, non majus in ista sit, quam in marito, *S. Thomas 3. p. 2. art. 22. Navarrus cap. 23. n. 26. Covarruvias cit. p. 1. §. 1. n. 8. Sanchez Lib. 9. de Matrim. disp. 14. n. 16. qui n. 9. cum Sylvestro V. Excommunicatio §. n. 4. & aliis meritò excipit casum, quò excom-*

- excommunicatio lata fuisset in causa matrimonii, de cuius valore lis pender; cum enim hoc casu matrimonii usus viro & mulieri interdictus sit, ob periculum fornicationis, debiti petitio & reddito, tanquam communicatio in crimine criminoso & utriusque animæ periculosa, neutri permilla foret, c. *Inter alia cit. in fine.*
71. Quinta causa est Subjectio *can. Quoniam & c. Inter cit.* Ratione cuius parentibus suis liberi, pupilli tutoribus, servi, ancillæ, famuli, villici dominis, milites principibus & ducibus bellum gerentibus, clerici seculares Episcopo, in cuius famulatu, & Religiosi prælato vel alteri superiori suo communicare non prohibentur. Ratio secundum *can. cit.* est; ut periculum animarum & conscientiarum scrupuli evitentur: quæ cum etiam in parentibus, dominis, duce, Prælato militet, reciprocè etiam his communicationem in necessariis cum ejusmodi personis subjectis permillam, docent laudati Navarrus *n. 27.* Suarez *f. 5. n. 21.* Laiman. *n. 16.* Bonacina *n. 38.* & Palao *n. 21.* & alii merito excipientes communicationem in crimine, propter quod excommunicatio est contracta; ne iis, quibus in isto communicant, similem censuram etiam ipsi incurrant, c. *Inter cit.*
74. In utriusque sexus Regulares, etiam Novitios,
75. In FF. Tertiarios, quosdam Eremitas, Equites S. Joannis &c.
76. Si injectio illa Ecclesiastico statui injuriosa,
77. Et graviter peccaminosa:
78. Eade mandata & ratihabitione approbata sit:
79. Eandem incurrit manus injiciens in clericum defunctum,
80. Et in consentientem:
81. Si actio clericalem statum debonestet.
82. Non incurritur à clerico percussente seipsum,
83. Aut alium sine injuria, percussente,
84. Vel casu istius ejus percussorem solum attentante,
85. Eumve percussente ad suam suorumque defensionem,
86. Vel ipsius correctionem, si eum Prælati vel Magister,
87. Vel in Minoribus constitutum pater percussit:
88. Vel alius cum uxore, filia &c, turpia agentem.
89. A Canonis excommunicatione Papa & legatus à latere quosvis, undequaque venientes:
90. Missus legatus suos tantum subditos absolvit.
91. Percussio clerici enormis, gravis, aut levis est.
92. Episcopus absolvit subditos reos percussione levis,
93. Et cujusvis occulte, nec deducta ad forum contentiosum:
94. Uti & impuberes, feminas,
95. Et alios ab itinere Romano legitime impeditos:
96. Osiarios & similes, reos percussione non enormis.
97. De Absolutione Regularium.

Lata est

ARTICULUS V.

De Excommunicatione Canonis.

SUMMARIUM.

72. Hanc incurrit manus injicientes in clericos quoscumque,
73. Jure specialiter non exceptos

De Absolutione Regularium.

72. **L**ata est hæc excommunicatio ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi, relato *can. Si quis suadente*, 17. q. 4. cuius tenor est, *Si quis suadente diabolo huius sacrilegii vitium vel crimen incurverit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum presumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum recipiat.* Quò textu

Nomine Clerici veniunt, & hujus Canonis privilegio gaudent quicumque aliquò etiam minori Ordine vel primâ solùm tonsurâ sunt initiati, juxta *can. 1. dist. 21. & c. Cum contingat 11. de Eccl. & qual.* etiam si careant beneficio Ecclesiasticò: nulliusque Ecclesiæ servitio sint addicti: neque etiam in studio aliquo versentur, per tradita *Lib. 3. tit. 1. n. 54. imò etiam, si censurâ aliquâ irretiti, irregulares aut depositi verbaliter sint, Suarez Disp. 22. de Censur. s. 1. n. 6. Coninck Disp. 14. dub. 15. n. 157. & Palao Tract. 29. disp. 3. p. 23. §. 1. n. 1. clerici conjugati, qui cum unica eaque virgine contraxerunt & deserunt habitum ac tonsuram clericalem, c. Unico de Cleric. conjug. in 6.*

73. Excipiuntur tamen & Canonis privilegio non gaudent Primò clerici degradati realiter, c. *Degradatio 2. de Pœnis in 6.* Secundò conjugati, non defœrentes clericalem habitum & tonsuram, c. *Unico cit.* Tertio bigami, bigamiâ verâ aut interpretativâ in minoribus constituti, c. *cit. & c. Unico*, junctâ Glossâ *V. Bigamos, de Bigamis in 6.* quia tales omni privilegio clericali sunt denudati; atque idcirco habitum ac tonsuram deferre prohibentur, *et. cit.* Quartò clerici in minoribus constituti, si dimissò habitu & tonsurâ, arma militaria portent, aut

aliis negotiis secularibus se immisceant, & ter specialiter ac nominatim moniti non respiciant, c. *In audientia 25. & c. Contingit 45. Barbosa in cc. cit. n. 2.* Quintò clerici, quicumque habitu clericali dimissò enormitatibus, hoc est, tyrannidi, seditionibus, latrociniiis, assassiniiis aliisque enormibus criminibus se immiscentes, c. *Cum non ab homine 14. c. Perpendimus 23. hic & c. 1. de Homicid. in 6.* Sextò demum, clerici joculariores, goliardi, buffones, vulgò *Gauçer/ Schalksnarren/ Meisterfinger/* post trinam Episcopi admonitionem non respiciant, c. *Unico de Vita & honest. in 6.* uti & lanionum, macellariorum, cauponum officia publicè exercentes, si tertio moniti non desistant, aut ea resumant: conjugati quidem, etiam si habitum ferant: non conjugati verò, si eò dimissò, ut laici incedant, *Clement. 1. de Vita & honest. quò tamen & c. Unico. cit. textu de Clericis solum minoribus agi, aliqui volunt apud Laiman. Lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 3. in fine.*

74. Monachi nomine intelliguntur, & *can. cit.* privilegio gaudent Imprimis quicumque utriusque sexûs Religiosi, Conventu & Novitii, c. *Ex tenore 10. c. De Monialibus 33. & c. Religioso 21. §. fin. in 6.* Deinde FF. Tertiarii SS. Dominici & Francisci, si votò aliquò editò, gerant habitum Religionis & in communitate vivant: sicut & Eremitæ, qui, editò votò Paupertatis vel aliâ susceptâ obligatione, sub aliqua Regula & superiore vivunt, vel Ecclesiæ alicujus servitio specialiter sunt addicti, *Suarez disp. 22. f. 1. n. 20. & 22. Laiman cit. cap. 5. n. 4. & Palao tract. 29. disp. 3. p. 23. §. 1. n. 14.* Aliter res se habet cum Eremitis, voti aliâve obligatione non adstrictis; tales enim & Fratres etiam Tertiarii in propriis domibus habitantes canonis privilegio

non defendi, cum Rodriguez *Tom. 2. Regul. q. 65. art. 5.* iidem docent. Demum Equites S. Joannis sive Melitenses, *c. Canonica 50.* quia sunt veri Religiosi. De S. Jacobi, S. Lazari, & ejusmodi Equitibus aliis, an Canonis privilegio gaudeant, ut eorum percussione excommunicatio reservata contrahatur, controversia est inter DD. in qua particularibus privilegiis & locorum consuetudine standum, cum Molina *Tract. 3. de I. & I. disp. 50. n. 5.* monet Palao §. *cit. n. 16.*

76. Violenta autem manus injici Clerico vel Monacho intelligitur quacunque actione graviter injuriosa & contumeliosa, consistente in facto sive opere externo, in eorum alicujus personam resque huic adherentes exercitò, *cit. Suarez f. 1. n. 27.* & Molina *Disp. 51. n. 8.* Unde *can. cit.* latam excommunicationem incurrit non solum, qui ejusmodi personam manu, pede, ense, fuste, aliòve instrumentò, aut etiam venenò propinatò occidit, mutilat, vulnerat, percutit, aut domo, carcere, vinculis aliòve locò modòve conclusam aut constrictam detinet, ne egredi valeat: sed etiam, qui fræno equi, aut vehiculo, cui infidet, violentam manum injicit, eamve fugientem insequendò causa est præcipitis lapsus in fossam aut flumen: qui per vim atque injuriam ei librum, pileum, vestem eripit, lacerat &c. qui eum sordibus, aqua, lapillis, pulvere conspergit, Sylvestre *V. Excommunicatio 6. n. 4.* Navarrus *Manual. cap. 27. n. 77.* Laiman. *cit. n. 6.* & Barbosa *in can. Si quis cit. à n. 29.*
78. Imò etiam, qui talem actionem mandat, vel propositis rationibus suadendò consulit, si inde ea sequatur, *c. Mulieres 6. §. fin.* aut ei favet & consentit, *c. Quæra 47.* eamve, suo nomine & in sui gratiam factam, aliquò signò externò (non merè affectu internò) ratam habet, *c. Cùm*

quis 23. in 6. ut etiam in hac, quantumvis poenali, materia percussionei rati habitio mandato comparetur, secundum *Reg. 10. in 6.* uti &, qui, cum sine gravi incomòdo posset, & ex officio sive justitia, ut magistratus, superior, dominus, pater subditum, servum, filium à proposita vel attentata clerici percussione impedire teneretur, eam permittit, ut ex *c. Quanta cit. verbis, Eos delinquentibus favere*, colligitur & cum Navarro *cit. cap. 27. n. 78.* tradunt *cit. Molina Disp. 52. à n. 27.* Laiman. *n. 7.* & Palao *p. 23. §. 2. à n. 5.*

79. Neque dictorum modorum aliquò violentas manus in clericum injiciens ab excommunicatione excusatur Primò; quòd Clericus eam commeritus sit; quia huic delinquenti poena ab Ecclesiastico suoque magistratu est infligenda: vel, quòd clericus sit mortuus; quia injuria etiam defuncto, & clericali statui in ipso fieri potest, Felinus *in c. A nobis 28. n. 4.* Grassi *Effectu clericat. g. n. 40.* & aliis relatis Barbosa *in can. cit. n. 47.*

80. Secundò; quòd manus injecta sit clerico volenti & consentienti; quia *can. Si quis cit.* privilegium non tam privatus personæ, quàm ipsius Ordinis clericalis & publicus est favor: cui à privatis nequit renuntiari, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* Qua in re tamen locus est distinctioni inter actiones; cum, si actio, non obstante clerici consensu, Ordini seu statui clericali injuriosa & contumeliosa sit, ejusdem consensus sit nullus, & actio illa clerico volenti manum injiciens canonis excommunicationem ipsò factò incurrat. Si autem actio ex clerici consensu clericali statui injuriosa, ejusque dehonestativa non sit; quòd v.g. causa mortificationis vel satisfactionis peccatis admitatur, censura illi obnoxia non sit. Cujusmodi actio, quia *c.*

Contin.

Contingit cit. memorata percussio, in satisfactionem pro offensa à clericis ex consuetudine sponte admitti solita, in provincia Tarraconensi censebatur, eam inferentes & clericos admittentes Innocentius III. ipsò factò quidem excommunicatos non pronuntiat: in posterum tamen clericum ejusmodi percussioni sponte se subjicientem, ut *c. cit.* vulgata: imò, ut ejus plena à Gonzalez relata lesio habet, utrumque, hoc est, tam percutientem quàm percussum, excommunicari per sententiam jussit; quòd clerici, eam sponte subeuntis, consensu non obstante, percussio in statù clericalis contemptum redundare eique injuriosa & actionibus, *can. Si quis suadente cit.* sub excommunicatione reservata prohibitis, similis vel affinis contra provinciam communem persuasionem Papæ videretur. Quæ *c. Contingit* expositio, licet à communi ejus intellectu aliena, textui tamen præ aliis consentanea est partim; quia istò novum aliquid & in posterum observandum decernitur, ut clarissimè exprimitur verbis *De catero & si quis clericus post prohibitionem hujusmodi se sponte subjecerit, excommunicetur*: partim verò; quia ex ejus decisione clericus, quantumvis in sui percussorem consentiens, contra *c. Quanta cit.* &, secundùm illius lectionem plenam uterque, ac proinde etiam percussus, non excommunicatur ipsò factò: sed per verbum *Excommunicetur* juxta dicta *n. 25.* ferendæ sententiæ censuram denotans, per sententiam excommunicandus pronuntiat.

82. Tertio; quòd clericus occidat, mutilet, vulneret seipsum aut, ut se occidat, alteri mandet, ut *arg. can. Si non licet, 24. q. 5.* Panormit. in *c. Contingit cit. n. 6.* & aliorum DD. communis sensus & ratio est; quia tali casu committitur, quòd *can. Si quis cit.* sub excom-

municatione Papæ reservata est interdictum. Contrarium tamen, & sibi ipsi illatà violentà mutilatione ac vulneratione excommunicationem Canonis ipsò factò à clerico non incurri, sustinet Barbosa in *c. Contingit cit. n. 7.* & alii probabile censent apud Palao *cit. §. 2. n. 4.* quòd *can. Si quis cit.* personarum distinctio exigatur inter eum, qui violentas manus injicit, & eum, cui istæ injiciuntur. Neque obstat *can. Si non licet cit.* quia istò aliud non asseritur, quàm suiciidiò homicidium committi non minùs, quàm alterius violentà interemptione: quòd licet verum sit, inde tamen legitime non inferitur, à clerico violentas manus sibi inferente contrahi excommunicationem Canonis; cum iste agat de personis distinctis: &, tanquam pœnalis, ad clericum manus sibi inferentem extensionem non admittat, *arg. Reg. Odia 15. in 6.*

Porro ut eadem violentia & injectio manuum in clericum huic aut saltem statui clericali graviter injuriosa & excommunicationi reservatæ obnoxia sit, *can. Si quis cit.* requiritur; ut fiat, suadente diabolo, sive ex affectione animi interna clericum lædendi injectione manûs sacrilegâ & graviter peccaminosâ; quia excommunicatio major quæcumque, tanquam pœna gravissima, ut delicto improporcionata non sit, gravem ac lethalem culpam præsupponit, juxta dicta *n. 10.* Unde eam non incurrit

Primò, non solum is, qui clericum 83. solis verbis contumeliosis offendit, aut violentas manus injicit ejus rebus, cognatis, familiaribus: sed etiam, qui rufius personam percutere aut actione aliqua injuriosâ lædere solummodo attentat; quòd v.g. clericus istum sibi intentatum declinet, aut lapidibus impetens ab eo aberret; quia *can. Si quis cit.* lata excommunicatio eos afficit, qui manus injiciunt

Q q z

injiciunt in clericum vel monachum, sive in ejus personam; ut actione injuriosa ista aut saltem res ei adhaerentes, pileus, vestis, liber &c. attingatur: vel saltem, ut ex ejusmodi actione personae laeso sequatur, *cit.* Suarez *f. 1. n. 23.* Laiman. *cap. 5. n. 6.* & Barbosa *in can. cit. n. 30.*

Secundò quicumque, vel ob actionis levitatem, vel ob defectum intentionis injuriandi, vel ob clericalis personae ignorantiam, vel ob animi nimiam perturbationem & vehementiam passionis, advertentiam, deliberationemque tollentis, vel aliam ob causam à mortali peccato excusantur: sicut saepe (non semper) excusantur pueri clerici rixantes seque mutuo & aliquando ad effusionem sanguinis è naribus percutientes, ut in simili dictum est *Lib. 3. Tit. 40. n. 41.*

84. Tertiò clericum aggressorem detinens vel percutiens ob defensionem sui vel alieni corporis, hominis, bonorum: dummodo non excedatur modus & percussio in continenti, non ex intervallo, fiat; quia hæc non tam violentia clerico illata, quam sui suorumque adversus vim injustam defensio est, *c. Ex tenore 10.* & præsertim *c. Si verò 3.* ubi ratio redditur; quòd ita vim vi repellere omnes leges omniæque Jura permittant. Ex qua causa ab excommunicatione immunis est mulier, clericum suæ pudicitiae infidiantem, si verbis aut fugâ nequeat, verberibus aut fuste repellens; & alius, cum domi suæ turbas excitantem vi excludens, bona sua vi aut clam auferentem insequens, ablata, si aliter nequeat, vi extorquens, aut ex contractu vel delicto debitorem de fuga suspectum detinens; ut judici suo Ecclesiastico præstet & satisfactionem consequatur, *cit.* Molina *Disp. 55. à n. 3.* Suarez *f. 1. cit. à n. 33.* Laiman. *n. 8.* & Palao *p. 23. §. 3. n. 15.*

Quartò, Prælatus & Magister correctionis ac disciplinae causâ clericum vel monachum subditum vel discipulum, *c. 1. c. Ex tenore 10. §. c. Cum voluntate 54. §. fin.* uti & pater vel propinquus ex eadem causâ filium vel propinquum percutiens, *§. fin. cit.* cujus tamen decisio hæc in re admittit distinctionem; cum, licet ex causa illa filium atque etiam propinquum moderatè percuti ab iis posse, *§. cit.* clarè expressum, & DD. concordibus calculis receptum sit: in Sacris tamen constitutum filium, & multò magis propinquum, correctionis causâ à propinquo & patre etiam percuti, quin excommunicationem contrahat, non posse, *in c. cit.* notat Barbosa *n. 6.* quòd ex una, generalitas *can. §. V. Si quis suadente* quascunque Jure expressas & exceptas personas comprehendat; ex altera verò parte, pater & multò magis propinquus filium aut cognatum in Sacris constitutum etiam correctionis causâ percutere, ullâ Jure non permittantur: imò non obscure prohibeantur *§. fin. cit.* ipsis inferiorum graduum, hoc est, in minoribus constitutorum clericorum percussione ex proposito causa permittente. Unde filios & cognatos in sacris constitutos ab ipsis, quin *can. Si quis cit.* excommunicationem incurrant, percuti non posse arg. à contrario ductò cum Interpp. ac DD. aliis censet Palao *cit. §. n. 8.*

Quintò, in clericum cum sua uxore, 88. matre, filia, sorore turpiter viventem, vel turpes actus, vg. oscula, amplexus aliòve tactus impudicos, præsertim in loco secreto aut suspecto exercentem, manus injiciens violentas, & quantumcunque graviter (in continenti tamen, & non primum ex intervallo) percutiens, imò etiam mutilans vel occidens, licet graviter peccet, Canonis tamen sive reservatam excommunicationem non incurrit, *c. Si verò 3. V.*

ad 3. *V. Nec ille*, quod ita constitutum est non solum in turpissimi flagitii execrationem: sed etiam, & vel maxime ob difficultatem tam iustum dolorem temperandi & cohibendi impetum vindictæ, *cit.* Navarrus n. 84. Molina *disp.* 55. n. 5. Suarez s. 1. n. 37. Laiman n. 8. & Palao §. 3. num. 13.

89. Extra hos & similes casus Clerici vel Monachi percussione excommunicatio major contrahitur, & contracta reservatur absolutioni Papæ *can. cit.* cujus concessione illorum percussores quoscunque & undecunque advenientes à censura absolvendi facultatem obtinent Legati à Latere, à die sui egressus è Curia usque ad diem regressus in eandem, *c.* *Ad eminentiam* 20. *bic c. Quod translationem* 4. *S. c. Excommunicatis* 9. *de Offic. Legat.* ubi legatis Missis, quos Nuntios Apollolicos vocamus, eadem facultas indulta, sed restricta est ad subditos ipsorum provinciales: legatis autem Natis speciali privilegio non munitis negata est, per tradita *Lib. 1. Tit. 30. à n. 31.* cum enim eorum potestas tota pendeat ex forma privilegii, quò Legationis munus eorum dignitati est annexum, communi Jure spectatò, à proposita censura absolvendi potestatem, ut cæteri Archi- & Episcopi non habent.

91. Quam autem hac in re potestatem Archi- & Episcopi habeant ut planius constet, præmittenda & præ oculis habenda est distinctio inter percussiones, Atrociem, Gravem & Levem. Atrox sive enormis censetur, quæ fit cum gravi læsione corporis, puta membri mutilatione, ejus debilitatione vel notabili deformatione, vel cum evulsione barbæ aut capillorum, excussione dentium, vel effusione copiosi sanguinis ex inflicto vulnere manantis: quæ valde excedit in modo, *vg.* si clericus cædatur fustibus, pedibus atrociter calcetur, sordibus turpiter foedetur: quæ

Prælatu Secularis aut Regularis aliæve persona in dignitate constituta vel superior à subdito, vel clericus Nobilitate aut gradu Literario rerumque experientiâ conspicuus à plebeis conditionis homines aut alius in foro aliòve loco publico aut sacris vestibus indutus atque ad divina celebranda paratus percuteretur. Prolevi habetur, quæ, licet graviter peccaminosa sit, læsio tamen sine notabili excessu in modo fit, & loci temporisq; circumstantiis & qualitatibus personarum, tam agentis quàm patientis, spectatis non magnò opprobrium Ordini clericali & scandalum fidelibus affert. Unde percussio gravis erit, quæ omnibus consideratis, inter atrocem & levem media prudentis judicis arbitriò reputatur, *cit.* Navarrus n. 92. Molina *disp.* 57. à n. 2. Suarez s. 1. n. 88. & Palao p. 4. n. 2. Quò præmissò,

Licet *can. Si quis cit.* ab excommunicatione, violentà manù in Clericum vel Monachum injectione contracta, absolvendi potestas Episcopis extra mortis articulum (in quo constitutos ab ea absolvere quilibet sacerdos potest) generaliter negetur: posteriori tamen Jure aliis^{92.} quoque casibus ea potestas Episcopis cæterisque Ordinis Episcopalis, & verisimilius, quibuscunque Prælatu jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio & in ejus populū exercentibus competit. Et primò quidem ob percussione modicam seu levem excommunicatos absolvendi potestas ipsis à Clemente III. *Per venit.* 17. concessa, & à Joanne XXII. confirmata est *Extravag.* quæ incipit *Perlellis*, à Covarruvia in *c. Alma p. 1. §. 9. n. 2. allegatà.* Secundo, quando percussio occulta & ad forum contentiosum non est^{93.} deducta, perinde ut ob alia delicta (exceptò homicidiò voluntariò) etiam propter eam excommunicatos absolvendi facultas Episcopis indulta est à Trident. *Sess.*

95. 24. cap. 6. de Reformat. Tertio, iidem absolvere possunt impuberes ab excommunicatione, percussione etiam enormi contracta, c. 1. Et c. Quamvis 58. etiamsi absolutionem post impletos pubertatis annos petant, c. fin. quia beneficium, à Jure semel ipsis indultum, pubertatis anni supervenientes non extinguunt, Panormit. in c. fin. cit. n. 1. Quarto, eodem privilegio gaudent Moniales, c. De monialibus 33. & mulieres alia cujuscunque ætatis & conditionis sint, c. Mulieres 6. Et c. Ea noscitur 13. Quinto, ab iisdem absolutionis beneficium consequi possunt viri, qui ob senium, infirmitatem, debilitatem, paupertatem aliãve necessitatem & grave impedimentum iter Romanum arripere & perficere non valent, c. Ea sit Et c. Quamvis 58. Infirmi tamen & alii impedimentò solùm temporali ab itinere Romano excusati (pueris tamen exceptis) priusquam ab Episcopis absolvantur, præstitò juramentò, promittere debent, quòd viribus suis restituti, aliòve ejusmodi impedimentò cessante, ad sedem Apostolicam istiùsve Legatum accedere velint, cc. cit. in fine. Sexto, ab eadem censura, etiam gravi, non tamen enormi percussione contracta, clericos in Seminario vel collegio alicujus Universitatis Literariæ simul commorantes absolvere iidem permittuntur, c. Quoniam 9. de Vita & honest. quòd, cum ratione communis vitæ & assiduæ cohabitationis facillè irascantur, & ad percussiones deveniant, conveniens non fuerit, ipsos pro absolutionis beneficio ad sedem Apostolicam istiùsve Legatum mitti, Panormit. in c. cit. n. 3.
96. Septimò, Ollarii & similes ædium vel corporis alicujus Principis custodes, sicut, quando irruentem turbam removendò clericum casu fortuitò omnino ignoranter percutiunt, censuram non incurrunt: Et, quando prætextu muneris sui eum percutiunt enormiter, v.g. grave vulnùs infligendò, ad sedem vel legatum Apostolicum remittendi sunt: sic ab excommunicatione, contracta ejus percussione levi, imò etiam gravi, eodem prætextu facta absolvi ab Episcopis valent, c. Si verò 3. pr. Panormit. in c. cit. n. 2. Suarez cit. f. 1. à n. 63. Palao §. 4. à n. 2. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 41. à n. 2.
- Ab eadem excommunicatione subditos suos Regulares absolvent Abbates, Præpositi, Priores, Guardiani, Rectores & similes eorum superiores, adhibito tamen discrimine non solùm inter actiones, sed personas etiam, quibus violentas manus injecerunt; vel enim ab ipforum subdito percussus est alius ejusdem vel diversi Monasterii religiosus, vel clericus secularis. Si religiosus ejusdem Monasterii percussus est, percussor, ab ejusmodi superiore & multò magis à Provinciali & Generali absolvi potest, c. Monachi 2. nisi percussio fuerit enormis; hujus enim reis pro absolutione ad sedem Apostolicam est recurrendum, c. Canonica 50. Si percussus est diversi, percussor quidem absolvendus est à suo, sed ipsius percussi superiore præsentè; ut utriusque partis consensu satisfactio imponatur, c. Cum illorum 32. nisi iste percussoris superiori vices suas commiserit, Sylvester V. Absolutio 5. n. 5. cit. Suarez f. 1. n. 73. & Molina disp. 60. n. 1. Si clericus secularis, ejus percussor Religiosus non exemptus ab Episcopo absolvi debet, & saltem cum consensu Prælati regularis poterit, si Religiosus sit exemptus, c. cit. Et c. Religiosus 2. in 6. Sylvester V. Absolutio 5. n. 2. Et 5. cit. Molina disp. 60. à n. 1. Et disp. 61. à n. 3. Suarez f. 1. n. 73. & Palao §. 4. à n. 8. Ex specialibus tamen privilegiis Regulares plerique ab excommunicatione, ob quamcunque percussione contracta, absolvi à suis superioribus possunt, ut constat

constat ex Compend. Privileg. S. J. V. Absolutio & Privileg. FF. Minor. V. eodem §. 13. & 38.

ARTICULUS VI.

De Suspensione,

SUMMARIUM.

- 98. Hujus censura definitio.
- 99. Eius ab excommunicatione majori ac minori,
- 100. Et interdictio Ecclesiastico differentia.
- 101. Suspendio alia à solo officio vel beneficio, alia ab utroque,
- 102. Et utraque totalis vel partialis,
- 103. Perpetua aut solummodo temporaria est.
- 104. Suspendus à beneficio, non hoc ipso ab officio:
- 105. Et ab ipso, non hoc ipso à beneficio est suspendus.
- 106. Simpliciter lata suspendio utriusque usu privat:
- 107. Suspendio ab officio conferri nequit beneficium.
- 108. Non faciliò quia ob culpam levem,
- 109. Et à proprio officio ob alienam culpam suspendi solet.
- 110. Suspendio aliquando functionis omninè:
- 111. Aliquando alicujus duntaxat usu privat.
- 112. Eius violatione contrahitur irregularitas:
- 113. Licet actus, quò violatur, jure subsistat.
- 114. Suspendus denunciatus vitandus est in actibus interdicti.
- 115. A suspensione jure lata non reservata Prælati Ordinarij:

- 116. Ex privilegio aliquando alij absolventur.
- 117. Lata pro determinato tempore, ipsius lapsu cessat:
- 118. Ab homine lata, tollitur ferentis &c. absolute.

Suspendio propriè dicta est Censura Ecclesiastica, quâ clericus ab alicujus functionis vel potestatis Ecclesiasticæ exercitio usque quâ tali impeditur, Navarrus Manual. cap. 27. n. 151. & Suarez de Censur. disp. 25. f. 1. n. 2. quia eâ, ob culpam suam à Jure vel ab homine sive judice suo Ecclesiastico sibi inflicta, clericus non privatur ipso Ordine, officio, beneficio, eorûmque collatione acceptâ potestate aut obtentò jure, sed solum impeditur, quò minùs omnino vel saltem ex parte exercere valeat actus Ordinis vel officii vel juris administrandi beneficium suum ejusque fructus percipiendi. Unde

Patet differentia Suspensionis à reliquis duabus Censuris; quia imprimis, licet dictum exercitium etiam istâ admittant: non tamen, ut suspensio, eò privant, quatenus est functio quædam seu usus potestatis, ab ordine, officio vel beneficio Ecclesiastico provenientis: sed Excommunicatio solum, quatenus habet rationem communicationis cum aliis fidelibus aut usûs passivi seu perceptionis alicujus Sacramenti, c. Si quem 59. Interdictum autem, quatenus sunt quædam divinorum participatio per præsentiam & assistentiam facta. Deinde; quia excommunicatio minor non, ut suspensio activò, sed passivò tantum Sacramentorum usu: major autem non solò Ordinis & officii exercitio & potestatis seu juris clericalis usu; sed aliis quoque bonis v.g. Ecclesiæ suffragiis, communicatione cum fidelibus in negotiis politicis ac forensibus &c.

bus &c. Interdictum autem sepulturæ Ecclesiasticæ privat. Demum; quia suspensio afficit solos clericos; cum Ordinibus, beneficiis & officiis Ecclesiasticis ipsi soli sint capaces, *c. In Ecclesia 2. de Institut. non, ut excommunicatio & interdictum, laicos & personas omnino seculares, Suarez cit. f. 1. n. 4. Palao Tract. 29. disp. 4. p. 5. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 197.*

Neque obstat; quod ab officio suo suspendi etiam valeant Abbatis, Prioris & similes monialium præfecti; quia, sicut ea, quam obtinent potestas, non vera jurisdictio Ecclesiastica, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 31. à n. 101.* sic privatio usus five exercitii potestatis, quæ pollent, non vera & propriè dicta suspensio est; cum ejus temerariâ violatione non contrahatur irregularitas, *c. Apostolica 9. de Cleric. excom. ministr. & c. 1. hic & de Sent. & re judic. in 6.* cujus capaces mulieres eò ipsò non sunt; quod incapaces sint Ordinibus, *c. Nova 10. de Penit. & remiss. cit. Suarez disp. 28. f. 2. n. 1. Palao n. 2. & Pirrhing n. 206.*

101. Ex suspensionis divisionibus notatu digniores tres sunt. Et primò quidem alia ab Officio solo vel solo Beneficio, alia est ab utroque simul. A solo officio est, quæ clericus ab Ordinis, jurisdictionis vel alterius Ecclesiasticæ potestatis exercitio: à solo beneficio, quæ ab usu juris administrandi & percipiendi fructus, ex beneficio provenientes: ab utroque simul est, quæ tam ab illius juris quam istius potestatis usu simul impeditur, Suarez *Disp. 27. f. 2. n. 5. & Gonzalez in c. Cum inter 16. de Elect. n. 19.*

102. Secundò alia est Totalis & alia Partialis; quarum illa vel simpliciter omnino, ratione cujuscunque officii & beneficii: vel saltem omnino, ratione solius officii, vel solius beneficii competentis potestatis vel juris usu privat: illa verò five partialis

certò tantum officii Sacerdotali vel Episcopali; ut ab ejus functionibus propriis omnibus, vel ab una tantum alterave v.g. ab ordinatione clericorum, à celebratione Missæ debeat abstinere: vel à jurisdictione, ut istius quoscunque, vel certos tantum aliquos actus exercere, v.g. beneficia conferre, suffragium ferre in capitulo non valeat; vel à certo tantum beneficio; ut istius fructibus omnibus, vel certâ tantum v.g. dimidiâ parte, vel distributionibus debeat carere, *cit. Laiman cap. 1. n. 2. & Pirrhing n. 198.*

Tertiò alia Temporalis & alia Perpetua: quarum illâ clericus alicujus potestatis vel juris exercitio ad certum ac determinatum tempus, v.g. ad biennium aut triennium, privatur; istâ five perpetuâ ejusmodi exercitium ipsi prohibetur simpliciter, hoc est, absque alicujus certâ temporis determinatione: sed, donec emendatio sequatur. Quo modò lata magis propriè censura est, quam ea, quæ ad certum tempus durat; cum ad certum tempus lata vindicativæ potius quam medicinalis poenæ habeat rationem: sicut & suspensio in perpetuum ita lata, ut ex ferentis mente sine ulla remissionis spe semper duret; talis enim non tam suspensionis censura quam quedam depositio est, ut rectè observat Laiman *cit. p. 3. cap. 5. n. 1.*

Dubium nunc primò de suspensò ab officio est, an suspensus etiam sit à beneficio. Certum est, ab isto suspensum, non hoc ipsò suspensum ab officio, Glossa in *c. Cum Vintoniensis 25. V. Admiserunt, de Elect. & Suarez Disp. 27. de Censur. f. 1. n. 3.* ut proinde à sola perceptione fructuum beneficii & administratione, quæ ad eorum perceptionem ordinatur, impediatur.

De suspensione ab officio, an suspensionem à beneficio inducat, dubitandi ratio non levis est; quod beneficium sit accessio-

ecessorium officio, propter quod datur, *c. fin. de Rescript. in 6.* Unde privatio usus beneficii privationem usus juris percipiendi fructus seu redditus beneficiales secum trahere videtur, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6. ut in c. Latores 4. de Cleric. excom. ministr.* cum Glossa *V. Ab officio Panormit. n. 6.* & Ant. de Butrio *n. 11.* tradit Bern. Diaz *Pract. Criminal. cap. 73. n. 2.* sed verius cum Bonifacio in *Clement. fin. de Penis n. 48.* Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 51. n. 12.* Suarez *disp. 26. f. 3. n. 4.* & Laiman *Lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. n. 2.* ex suspensione ab officio eam, quæ à beneficio est, inferri, negant ex ratione; quod Jura mentionem aliquando faciunt solum suspensionis ab officio, *c. Quia in omnibus 3. de Usuris & c. fin. §. Sanè, de Despons. clandest.* aliquando solum à beneficio, *c. Cum in cunctis 7. §. fin. de Elect.* aliquando expriment utramque, *c. Tam literis 33. de Test. & arrest. & c. 1. de Secund. Nupt.* manifestò indicio, ejusmodi suspensiones esse diversas; quod *c. Inter 10. de Purgat. Canon.* clarè habetur. Unde, si ab officio suspensus beneficii obligationibus quantum potest per se ipsum vel alium substitutum satisfaciat, beneficii fructus percipere valebit, ut notat Palao *Tract. 29. disp. 4. p. 5. §. 1. n. 5.*

106, Neque in contrarium urget ratio dubitandi; quia, licet beneficium propter officium, & non nisi ad hoc præstandum idoneo conferatur, *c. Relatum 4. de Cleric. non resid.* semel tamen canonicè obtentò ejus titulò, non hoc ipsò ejus fructus amittuntur; quòd ipsi annexum officium ad tempus præstari nequeat ab eo, qui à beneficio est suspensus; cum à clerico aegrotante, imò ad istud obeundum perpetuò inhabili reddito, beneficii fructus percipiuntur, per textù & DD. in *c. 1. & c. De Rectoribus 3. de Cleric. aegrot.*

Dubium secundò est, qualis suspensio censenda sit, quæ lata est absolute, hoc est, officio & beneficio non expressò; sicut *c. Cum bone 3. de Etat. & qualis. Clement. 1. §. Quibus & Extravag. Divina 3. inter com. de Privileg. sit.* Ratio dubitandi obvia est; quòd non appareat ratio, cur de officio potius, quàm beneficio, aut de hoc potius, quàm de illo intelligatur. Cujus ea vis est; ut, si ex textu unam præ altera denotari nequeat colligi, suspensionem ab utroque, tam à beneficio quàm ab officio latam, merito censeant *citt. Suarez disp. 25. f. 2. n. 9. Laiman n. 2. & Palao p. 1. n. 3.*

Dubium tertid est, an ab officio suspensio beneficium conferri possit. Ei saltem valide, cum Panormit. in *c. Non est 14. de Temp. Ordinat. n. 4. cit.* Suarez *disp. 26. f. 1. n. 8.* & Laiman *cap. 1. n. 4.* & licitè quoque beneficium conferri, sustinet Hurtadus *de Suspend. diff. 4. n. 8.* Sed verius ab officio totaliter suspensio factam illius collationem pro illicita, & ipso Jure irrità habent Navarrus *cit. cap. 27. n. 133.* Azor *p. 2. Instit. lib. 6. cap. 7. q. 2.* Flaminus *Lib. 5. de Resig. q. 6. n. 84.* & Garcias *p. 7. de Benef. cap. 14. à n. 1.* pro hac sua doctrina allegans varias Rotæ decisiones. Eadem non obscure traditur *c. Cum dilectus 8. de Consuet.* ubi electio celebrata de suspensio cassatur, hoc est, cassa & irrita pronuntiatur; & clarè *c. Cum bone 8. de Etat. & qualis.* cujus textu relatò Clementis III. Rescriptò clerici beneficia, quæ, durante suspensione, consecuti sunt, nequeunt retinere. Unde etiam ipsis, tanquam nullum jus habentes, jubentur spoliari. Ratio est; quia, ut dictum, beneficium datur propter officium, *c. fin. cit.* & ab istius exercitio impeditis disertè negatur *c. Relatum cit. & c. fin. de Cleric. excom. ministr.*

Neque cum hac resolutione pugnat quòd.

R r *

quòd *c. Vel non est cit.* Episcopus beneficium conferre jubeatur clerico 13. ætatis annò in diaconum ordinato: quantumvis ab istius Ordinis executione, donec ad legitimam ætatem pervenerit, suspensus pronuntietur. Unde collatarii suspensionem collationis valori & honestati etiam non obstare, Hurtadus desumpsit. Sed perperam; quia clericus iste non tam propter suam, quàm Episcopi ordinantis culpam & propter defectum ætatis; neque omnium, etiam minorum ritè susceptorum, sed solum ante legitimam ætatem obtenti diaconatus usu: neque simpliciter, sed ad certum atque determinatum tempus suspensus fuit. Unde ejus suspensio respectu dicti clerici prohibitio seu præceptum potius fuit, quàm censura suspensionis propriè dictæ, & obstantis beneficii collationi, ut *inc. cit.* notant Laiman n. 2. & Palao p. 5. §. 1. n. 2.

108. Dubium quartò est, an suspensio infligi valeat ob culpam levem aut alienam. Levem ad eam infligendam sufficere, suadet ratio; quia suspendi quis potest ab unico actu suffragationis in Capitulo, à celebratione Missæ certo die, locòve: quò modò inflicta cum non magnò bonò privet, etiam culpam non magnam requiret. Sed, licet suspensionem infligi ob culpam levem posse, huic rationi tribuatur, Jure tamen lata non reperitur; neque ab homine infligi, nisi ob gravem culpam facile solet, ut rectè advertunt *citt. Sanchez Lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 9. Laiman cap. 3. n. 2. & Palao p. 3. n. 4.*

109. De culpa aliena id desumitur partim ex *c. Vel non est 14. de Temp. Ordinat.* ubi puer decimotertiò ætatis annò ordinatus in diaconum, ab istius Ordinis officio usque ad legitimam ætatem suspensus est ob culpam non suam, sed ordinantis: partim ex eo; quòd suspensio ferri queat in totum Collegium; quò eà ligatò,

personæ ejus singulares etiam innocentes, sunt suspensæ. Sed hac in re locus est distinctioni; quantumvis enim suspensio in collegium ob culpam, à potiori ejus parte commissam, lata juris, ratione illius competentis usu etiam innocentes privet; istos tamen non impedit ab usu juris quasi proprii & particularis, *arg. can. Satis 6. dist. 56.* quò textu contra disciplinam Ecclesiasticam esse asseritur; ut quis alienà culpà officio privetur; cum peccata suos tenere debeant auctores: nec poena sit ulterius protrahenda, quàm delictum, *c. Quasviti 2. de His, qua à Pralat.*

Neque aliud desumitur ex *c. Vel non est cit.* quia eò lata vel relata suspensio pueri ab executione Ordinis Diaconatus, non est vera suspensionis censura; cum non tam ex delicto, quàm ex legitimæ ætatis defectu proveniat: contra naturam censuræ duret usque ad certum tempus five legitimæ ætatis annos, non donec suspensus respiciens à contumacia recedat: & demum, ejus violatione irregularitatem contrahis, Jus nullibi exprimat: idque cum Panormit. *inc. cit. n. 4.* negent Covarruvias in *Clement. Si furiosus p. 1. §. 1. n. 4.* & Suarez *disp. 28. s. 4. n. 5.*

Effectus suspensionis præcipuus, 110. juxta dicta, est privatio exercitii five usus omnis vel alicujus tantum potestatis aut juris, ratione officii vel beneficii competentis, secundum propriam significationem verborum, quibus ea à Jure vel ab homine est lata; sic enim v.g. Episcopus, suspensus à Pontificalibus vel ab Ordine Episcopali, à collatione quidem Ordinum, Confirmatione, Ecclesiarum consecratione: non etiam ab usu jurisdictionis, à Missæ celebratione, poenitentium absolutione aliòve Sacerdotalis & inferiorum Ordinum exercitio impeditur. Etsi contra suspensus ab Ordine inferiori v.g. Diaconatus, etiam superiorum Ordinum v.g. Sacerdo-

Sacerdotalis vel Episcopalis actus exercere prohibeatur, ut cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 163.* Regulæ instar complures tradunt. Quam tamen Regulam *citt. Suarez disp. 26. f. 4. n. 11.* Laiman *cap. 1. n. 6.* & Palao *p. 5. §. 1. n. 15.* restringunt ad eos superiorum Ordinum actus, qui inferioris actum proprium in se continent: non ad quoscunque extendunt; ut à Diaconatus Ordine suspensus sacerdos solenniter baptizare, penitentium confessiones audire, benedicere &c. valeat; quod pœnæ restringendæ potius sint, quàm extendendæ, *arg. Reg. Odis 15. in 6.* Missam tamen celebrare non possit; quod Missa Evangelium includat; ac proinde ei, cui istius lectio prohibetur, Missa quoque celebratio prohibita censetur; ne, quod ei unâ viâ prohibetur, ad id aliâ admittatur, contra *Reg. 34. in 6.* Sic Episcopus suspensus à collatione Ordinum, non etiam ab Ecclesiarum consecratione vel confirmatione; imò neque à collatione primæ tonsuræ suspensus censetur; quia hæc Ordo propriè non est, iuxta dicta *Lib. 1. tit. 11. n. 3.* Sic suspensus à jurisdictione, non etiam ab usu Ordinum; & suspensus ab officio, non eò ipsò à fructuum ex beneficio provenientium perceptione, & ad hanc ordinatâ illius administratione impeditur. Sic demum suspensus à beneficio, istius quidem fructus percipere nequit, officii tamen beneficio annexi actus exercere, atque etiam vocem seu suffragium in Capitulo dare & beneficia conferre valet; cum hi propriè non beneficii, sed huic annexi officii sint actus, *citt. Laiman cap. 1. à n. 3.* Bonacina *Disp. 3. de Suspend. p. 2. à n. 2.* & Pirrhing *à n. 200.*

112. Actuum autem propriè dictâ suspensione sibi prohibitorum aliquem exercere si clericus præsumat, graviter peccat; propter contemptum potestatis Ecclesiasticæ, & ab istâ latæ gravis censuræ

violationem, Navarro *Manual. cap. 27. n. 168. citt. Suarez Disp. 26. f. 2. n. 1.* & Bonacina *Disp. 3. p. 4. n. 1.* & si violatio sit suspensionis ab Ordine, contrahit irregularitatem, supra *Tit. 27. à n. 4.* declaratam.

Ejusmodi tamen actus, censurâ in superhabita, exerciti validi sunt, exceptâ electione, *c. Cum dilectus 8. de Consuet. c. Cum inter 16. de Elect. §. c. Cum bona 8. de Retat. §. qualis.* & actibus jurisdictionis: qui tamen, v.g. sententia lata in externo & in conscientia interno foro collata absolutio Sacramentalis, an valeant aut secus, pendet ex notitia vel ignorantia suspensionis; licet enim, quando ista publicè innouit, ejusmodi actus irriti sint ob defectum jurisdictionis actualis, quâ suspensio privat: validi tamen sunt, quando suspensio est occulta; quia tali casu defectus jurisdictionis propter utilitatem, imò necessitatem publicam ab Ecclesia suppletur, *arg. §. Veruntamen, post cau. Infamæ, 3. q. 7. §. 1. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* Imò post Concilium Constantiense, in eoque editam *Extravag. Ad evitanda* actorum judicialium fori saltem externi valori non obstat censuræ notitia etiam publica: dummodo suspensus publicè non sit denunciatus, & actus illos exerceat ad requisitionem aliorum fidelium, aut saltem ab his per exceptionem non sit repulsus, *citt. Suarez Disp. 27. f. 2. n. 2.* Bonacina *p. 4. n. 7.* Palao *disp. 4. p. 6. n. 7.* & Pirrhing *n. 210.* Unde

Dubium oritur, an suspensus denunciatus sit vitandus. Ratio dubitandi est; quòd suspensio per se non privet ullâ communicatione cum aliis fidelibus; imò istius privatione excommunicatio præcipuè ab ipsa differat. Sed, licet hæc ratio suspensum, etiam nominatim denuntiatum, aliis fidelibus & hos illi non vitandos evincat; interdicta tamen illis est in-

R r 2 ductio

ductio suspensio ad malum usum potestatis vel juris, à quo est suspensus, & cooperatio in exercitio ipsi interdicto. Quæ etiam inductione & cooperatione, licet graviter peccent, excommunicationem tamen minorem aliâve pœnam Jure latam non incurrunr, *citt. Suarez, 3. d. n. 7. & Pirrhing n. 211.*

¶ 15. Suspensio cessat vel tollitur tribus modis. Primò, si ea absque ulla temporis determinatione, ac proinde tanquam censura propriè dicta ad frangendam contumaciam seu correctionem delinquentis lata sit, multùm refert, à quo sit lata; cum ea, quæ lata est Jure, & ab isto Papæ absolutioni reservata non est, cessante contumaciâ, per absolutionem ab ipsius suspensi Episcopo, aliòve Prælato jurisdictionem quasi Episcopalem obtinente, tolli possit, *¶. Nuper 29. citt. Suarez Disp. 29. f. 2. n. 15.*

¶ 16. & Laiman n. 3. Ex privilegio ab ea fideles absolvere in foro Conscientiæ interno possunt Confessarii Societatis JESU & aliarum quarundam Religionum, ut idem advertit n. 4 & habetur Compend. Privileg. f. 7. V. Absolutio §. 1. Imò ex Felini in c. Ex literis 11. de Constitut. n. 36. & aliorum quorundam sententia, cessante contumaciâ, cessat sine ulla absolutione: quæ tamen opus esse, ex communi aliorum sensu docet *citt. Suarez Disp. 29. f. 2. n. 6.* Ab ea verò, quæ lata est ab homine, absolvere regulariter solus ejus author, successor & (validè, aliquando etiam licitè) superior potest, Palao *citt. disp. 4. p. 9. 2. n. 9.*

¶ 17. Secundò, lata pro determinato tempore v. g. triennio, vel donec impleatur aliqua conditio, v. g. restitutio, aut alia satisfactio exhibeatur, illò exactò, aut istâ impletâ, cessat sine omni alia relaxatione vel declaratione, Glossa in Clement. 1. V. Donec, de Decimis, Panormit. in c. 1. de Judiciis n. 6. Navarrus *Manual. cap. 27.*

n. 161. *citt. Suarez Disp. 29. f. 1. n. 1. & Laiman cap. 4. n. 1.* ante illud autem & hanc impletam tolli per viam dispensationis potest ab eo, à quo est inflicta; ac proinde Jure lata à Papa. Ea autem, quæ lata est ab homine, ab Episcopo aliòve Prælato, qui eam tulit, ipsiusque successore vel superiore: nisi suspensionis ab isto inflictæ tempus à Jure determinatum fuisset; hoc enim casu ante ejus temporis lapsum relaxari à solo Papa possit, *citt. Suarez n. 20. & Laiman n. 3.*

Tertio, suspensio in pœnam peccati **¶ 18.** jam præteriti à Jure vel ab homine lata in perpetuum sive, ut sine spe remissionis ordinariæ semper duret, relaxari, antiquò Decretalium Jure spectatò, à solò ejus auctore vel successore aut superiore, non ab inferiore potest, Panormit. in c. Si quorundam 2. de Solut. n. 5. *citt. Navarrus n. 162. Suarez n. 15. & Laiman n. 3.* Novissimò autem Jure Tridentini Episcopi absolvere à quacunque suspensione Jure (& per sententiam generalem ab homine) latâ possunt; dummodo ea sit orta ex delicto occulto, & ad forum contentiosum non deducto, *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.*

ARTICULUS VII. De Interdicto Ecclesiastico.

SUMMARIUM.

119. Interdicti definitio.
120. Ejus differentia ab aliis Censuris,
121. Et à Cessatione à Divinis.
122. Divisio in Locale, Personale & Mixtum.
123. In Generale & Particulare.
124. Interdictum Civitatis afficit suburbia, capellas &c.

125. In

125. Interdictum Civitatis & Diocesis Ecclesiam Cathedrali.
 126. Interdictum loci omnes non privilegiati,
 127. Et in Populum latum civis & incolae omnes,
 128. Jure non exempti, observare tenentur.
 129. Ipsi tamen Ecclesia,
 130. Et Cleri interdicti Religiosi & Ecclesia non tenentur.
 131. I. Effectus interdicti totalis est privatio administrationis & receptionis Sacramentorum:
 132. Excepto tamen Baptismo,
 133. Confirmatione,
 134. Penitentia moribundis & peregrinis,
 135. Et Eucharistia in mortis articulo administranda.
 136. Aliquando etiam alia Sacramenta administrari possunt.
 137. II. Privatio Divini officii publicè:
 138. Non etiam privatim,
 139. Et in festis solennioribus etiam publicè peragendi.
 140. III. Privatio sepultura Ecclesiastica,
 141. Nonnullis tamen casibus & personis concessa.
 142. Violatio interdicti grave peccatum est:
 143. Inducit Irregularitatem,
 144. Non etiam ipso Jure suspensionem.
 145. Pena laicorum, violentium interdictum:
 146. Quod aliquando lapsu temporis vel implerione conditionis:
 147. Aliquando Papa, Episcopi &c. relaxatione tollitur.
119. **I**nterdicti nomine latè Decretum quodcunque judicis prohibitorium,

Rubrica & text. de Matrim. contra interdict. strictè & in sensu præsentis Rubrica accepti venit Censura Ecclesiastica, quæ omnium Divinorum officiorum, Sacramentorum quorundam & Sepultura Ecclesiastica participatio prohibetur, ut ex c. Non est 11. de Spons. & matr. & c. Quod in te 2. de Penit. remiss. cum Sylvestro V. Interdictum 1. n. 2. & Navarro Manual. cap. 27. n. 162. desumunt Covarruvias in c. Alma p. 2. §. 1. n. 2. Suarez de Censur. disp. 32. s. 1. n. 3. & Laiman. Lib. 1. Tract. 5. p. 4. cap. & n. 1. Unde secundum hos DD.

Interdictum ab aliis censuris differt; 120. quod Sacramentis Ecclesiasticis divinisque officiis & sepultura Ecclesiastica non privet, quatenus quædam cum aliis fidelibus communicatio, sicut excommunicatio: neque etiam: neque, quatenus functiones quædam seu Ecclesiastica potestatis aut Juris exercitium sunt, sicut suspensio facit: sed, quatenus participationis per assistentiam & præsentiam & dispensationis rerum spiritualium rationem habent.

Interdictio affinis est Cessatio à divinis, quæ etiam Suspendio organorum Ecclesiastica vocatur: estque Mandatum Ecclesiasticum, quod clerici in loco aliquo abstinere jubentur ab officiis Divinis, in signum maximi, justissimique doloris ac tristitiæ, conceptæ ob gravissimam injuriam sibi & honori divino illatam, ut ex c. Quamvis 8. de Offic. Ord. in. 6. & Clement. 1. pr. V. In cessationibus, hic desumunt laudati Sylvester n. 1. Navarrus n. 188. Suarez Disp. 39. s. 1. n. 3. & Laiman. cap. 6. n. 1. Ab interdictio tamen differt Primò; quod non sit censura; cum non in poenam alicujus delicti: sed ad significandam Ecclesiæ tristitiam indicatur. Secundò; quod non à Jure, sed semper ab homine

homine imponatur & immediatè afficiat locum: personas autem solum mediatè, & nullam unquam determinatè, contrà quàm solet interdictum; hoc enim semper afficit unam vel plures determinatas personas, saltem eam, cujus causà est latum. Tertio; quòd indictam à divinis cessationem temerè violans, licet graviter peccet, non contrahat irregularitatem: cui tamen obnoxius est temerarius violator interdicti. Quarto; quòd privilegia concessa circa interdictum, v.g. ut clericus quotidie Missam & divinum officium celebrare valeat cum moderatione *c. fin. in 6.* non extendantur ad Cessationem à divinis, *c. Non est cit. ibi*, Nulla divina officia permittatis aliquatenus celebrari; eùm à diversis illatio legitima non sit, *l. Inter 23. §. 5. ibi, Sed hac dissimilia sunt, ff. de V. O.* Contrarium tamen valde probabile censent *cit.* Suarez *f. 2. n. 14.* & Laiman. *n. 2.* Quintò, sepultura seu depositio cadaveris cuiusque fidelis etiam laici defuncti in loco sacro sine Officio funebri tempore cessationis à divinis (non etiam interdicti) concessa est; quia officii divini, tempore cessationis prohibiti, nomen sepulturam in loco sacro non comprehendit, *cit.* Suarez *n. 13.* Laiman *n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 262.*

122. Est autem Interdictum aliud Locale, aliud Personale, ut colligitur ex *c. Si sententia 16. §. c. Si civitas 17. in 6.* quorum illud immediatè afficit locum; ne in eo divina celebrentur vel audiantur: mediatè autem personas quascunque, tam incolas quàm extraneas, quæ in eo divinis assistere eaque participare prohibentur ob alicujus culpam; istud sive personale immediatè afficit personas, quæ à divinis in quocunque loco celebrandis & audiendò participandis prohibentur. Addunt DD. aliqui nec malè interdictum

Mixtum; quod immediatè afficit loca & personas v.g. civitatem & ejus incolas.

Rursus Interdictum aliud Generale ^{123.} est & aliud Particulare. Generale, si Locale, tota provincia, civitas vel oppidum: si Personale, totus populus hujusmodi loci vel territorii seu districtus, vel aliqua universitas v.g. Collegium aut Capitulum: Particulari, si Locale, unus vel plura loca determinata, v.g. certa Ecclesia parochialis vel alicujus Monasterii: si Personale est, una vel plures certæ personæ, communitatem non constituentes, v.g. quæ Ecclesiæ pastorem vel loci rectorem interfecerunt, effregerunt Ecclesiam &c. afficiuntur. Quæ omnia, si interdicti Ecclesiastici effectus omnes habent, Totalia: si verò unum tantum alterumve ejus effectum habent, ut v.g. à sola celebratione Missæ, Sacramenti alicujus perceptione, Ecclesiæ ingressu impediunt, Partialia nuncupantur, *cit.* Navarrus *à n. 164.* Suarez *Disp. 32. à n. 1.* Laiman. *cap. 1. n. 2.* Palao *Tract. 29. Disp. 5. p. 1. à n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. à n. 216.* Ex his interdictis

Primò, Locali generali supposità ^{124.} civitate, interdicta etiam censentur suburbia & ædificia continentia, *c. Si civitas 17. in 6.* sive ædificia, sacella, cœmeteria extra civitatis muros sita: neque solum ei contigua, sed etiam separata, ita tamen propinqua; ut civitatis vel oppidi incolæ ad divina audienda vel celebranda ad ea se conferre commodè possint, Franc. *in c. cit. n. 6.* Simili modò, ^{125.} si interdicto locali Ecclesia particularis v.g. Parochialis supponatur, sacella quoque adhærentia cum contiguo, ad eamque pertinente cœmeterio interdicta censentur, *c. cit. V. Ratione quoque.* Quod statuendi ratio fuit partim; quòd hujusmodi ædificia civitati accessoria; ac proinde locus sit *Reg. Accessorium 42. in 6.* partim

partim verò; ne populò, à civitate ad suburbia transeunte, interdictum facile eludatur & contemnatur, *c. cit.* laudati Suarez *f. 2. n. 25. & 27.* Laiman, *n. 2. Palao p. 2. §. 1. n. 1. & Pirrhing n. 225.*

126. An, interdicta civitate vel diocesi, etiam Ecclesia Cathedralis; & interdicta Diocesi, etiam civitas interdicta censetur, non convenit inter DD. eorum enim interdictorum utroque Ecclesiam Cathedralis comprehendi, Covarruv. *cit. §. 1. n. 4.* & Diocesis interdictò civitatem affici, Bonacina *Disp. 5. de Interdicto p. 1. n. 11.* negant. Sed melius diocesis interdictò civitatem comprehendi, & utriusque interdictò Ecclesiam Cathedralis affici, docent *cit.* Suarez *f. 2. n. 21.* & Palao *§. 1. n. 3. & 4.* quòd, si non ista quoque comprehenderetur, interdictum facile eluderetur & insuper haberetur, contra *c. Si civitas cit.*

Neque adverfatur; quòd Ecclesie nomen in odiosis non comprehendat Cathedralis, *c. Quamvis 4. de Præbend. in 6.* quia, præterquam, quòd hoc textu de Ecclesie, non de civitatis & diocesis nominibus sermo sit, *c. cit.* dispositionem ultra rescripta ad beneficia & ad casus specialiter non expressos non extendendam, clarè insinuat verbis *Quam Ecclesiam Cathedralis propter ipsius honorum sub hac,* civitatis vel diocesis, verborum generalitate hoc casu nolumus includi: quibus *c. cit.* dispositio ad literas beneficiale restringitur; & in aliis materiis nominibus *Ecclesiarum civitatis vel diocesis Cathedralis* quoque comprehendendi, insinuat: quòd paulò antè exprimebatur verbis *Quamquam sub nomine Ecclesiarum civitatis & diocesis comprehendatur aliàs Ecclesia Cathedralis.* Unde argumentò à speciali ad oppositum ductò *c. cit.* dispositio militat pro nostra do-

ctrina, ut probè observant DD. *cit.*

Secundò, idem interdictum Locale, 127. tam alicujus civitatis vel oppidi generale, quàm particulare, unius vel plurium Ecclesiarum, observare tenentur omnes incolæ & exteri, tam Seculares quàm Regulares, exempti & non exempti, qui speciali privilegiò super eo non sunt muniti, *c. Auctoritate 4. & c. Licet 10. pr. de Privileg. in 6.* Ratio est; quia talis interdicti prohibitio est privatio divinorum non tam facta personis, quàm loco, Sayrus *de Censur. Lib. 5. cap. 3. à n. 28.* & Palao *cit. §. 1. n. 7.* Specialiter autem tali interdictò generali afficiuntur, qui ei causà dederunt; tales enim personaliter interdicti sunt; ut neque in illo loco ob suam causam interdictò, neque in alio divina participare possint, ut ex *c. Si sententia 16. in 6.* desumunt Sylvester *V. Interdictum 2. n. 7.* Suarez *Disp. 37. f. 1. n. 15.* & aliis relatis Barbosa *in c. cit. n. 3.*

Tertiò, interdictò generali Personali Populi, omnes ejus cives & concives, in suburbis & locis continentibus civitatis comunitatis vel collegii, etià absentes & innocentes, & omnia ejus membra afficiuntur, *c. Si sententia 16. in 6.* Tale tamen interdictum respectu innocentium non habet rationem poenæ propriè dictæ, sed tantum damni, quò absque sua culpa aliquando afficiuntur etiam innocentes, Covarruvias *cit. §. 1. à n. 6.* Suarez *Disp. 36. f. 3. à n. 2.* & Barbosa *in c. cit. n. 4.*

Excipiuntur tamen, & tali interdictò personali, cui causam non dederunt, non afficiuntur Primò, Episcopi etiam confirmati, licet nondum consecrati; hi enim, utque superiores Prælati, cum propter Pontificalis officii reverentiam: tum propter utilitatem subditorum nullam, tam interdicti quàm suspensionis, sententià afficiuntur: nisi in ea expressa ipso-
rum men-

128.

rum mentio fiat, ex Constitutione Bonifacii VIII. c. *Quia periculosum* 4. in 6. Secundò clericus; quia in sententia interdicti, sicut clerici nomine non veniunt laici, sic Populi nomine Clerici & Religiosi non intelliguntur, c. *Si sententia* 16. in 6. Tertio, infantes & amentes; quia tales propter defectum usus rationis legibus non adstringuntur, juxta dicta *Lib. 1. tit. 2. n. 99.* Tempore tamen interdicti in loco sacro sepeliri etiam ipsi nequeunt, aliquando ratione loci, interdicto suppositi: aliquando ratione personarum interdictarum, quæ ipsos quoque sepulturâ Ecclesiasticâ tumulari prohibent, *citt. Sylvester n. 18. Covarruv. §. 4. n. 5. & Bonacina p. 1. n. 22.* Quarto, viatores & peregrini, per locum interdictum transeunt: uti & per notabilem anni partem, sicut aliquando mercatores & studiosi, in eo manentes; quòd propriè non sint pars populi seu communitatis, *citt. Navarr. n. 167. Suarez Disp. 32. §. 2. n. 5. & Bonacina n. 20.* Quintò, etiam incolæ in alium locum transferentes domicilium; istò enim alibi constitutò, sicut esse desinunt pars populi suppositi interdicto, sic ab isto eximuntur, *Palao cit. p. 2. §. 2. n. 5.*

129. Eòdem Populi interdictò loca quoque sive Ecclesias ejus populi interdictas, vult Covarruvias §. 1. *cit. n. 7. ne*, si in ejus Ecclesiis clerici divina officia aperitis januis & pulsatis campanis peragant, interdictum eludatur. Sed hoc leve est; quia divinorum in ejusmodi Ecclesia celebrationi assistere populus non potest, nec debet permitti: & si per vim vellet, clericis à divinorum celebratione recedendum potiùs esset, quàm cum aliorum fidelium scandalo interdicto populo ad peccatum cooperandum. Quare interdictò populi ejusmodi Ecclesias comprehendendi, cum Navarro *cit. cap. 27. n.*

167. & aliis meritò negant Coninck *Disp. 17. n. 20. & Palao cit. §. 2. n. 11.* quòd interdicto generali Personali Locale includi, jure nuspam sit expressum.

Quartò, interdictò Cleri, si non exprimantur, Religiosi non comprehenduntur, ut contra *citt. Navarrum n. 167. Covarruviam §. 1. n. 8. & Suarez n. 13.* cum Sylvestro *V. Interdictum 2. n. 19.* verisimiliùs defendunt *citt. Laiman. cap. 4. n. 3. Bonacina n. 14. Palao §. 2. n. 9. & alii ab hoc relati;* quòd sint homines statùs à clericis diversi. Aliud esset, si interdicto supponerentur omnes personæ Ecclesiasticæ; tali enim procul dubiò gratiam Religiosi, tanquam personæ Ecclesiasticæ jurisdictioni subjectæ, afficerentur.

Neque istos etiam Clericorum nomine in proposita materia comprehendendi, evincitur ex c. *Si sententia cit.* quòd istius *primè.* communitas in Populum & Clerum dividatur; ac proinde Religiosi, cum sint membra communitatis, & non veniant nomine Populi, Cleri nomine debeant comprehendendi: partim; quia c. *cit.* dispositione communitatis divisionem reddere, & omnia ejus membra concludere, Papæ propositum fuisse, non exprimitur: sed solummodo declaratur, Populum Cleri, & hunc illius nomine non comprehendendi: partim verò, quia licet in favorabilibus, sicut clericus, sic istius nomine etiam Religiosi intelligantur: in pœnalibus tamen & odiosis, sicut Clerus Populi, sic illius nomine non veniunt Religiosi, Panormit. *in c. 1. Ne cler. vel monach. n. 7. Belletus Disquis. Cleric. p. 1. Tit. de Disciplina §. 2. n. 26. & Barbosa in Appellat. Juris V. Clerici, n. 7.*

Quintò, interdictò alicujus Ecclesiæ clerò, non eò ipsò talis Ecclesia interdicta censetur; ut proinde id non obstat, quò minus in tali Ecclesia divina celebra-

re alii

re alii clerici, eaque audire laici possint, Glossa in c. Si sententia cit. V. In clericum, Covarruvias cit. §. 1. n. 7. & Barbosa in c. cit. n. 7.

131. Porro Interdicti Totalis tres sunt effectus. Primus privatio administrationis & receptionis Sacramentorum, præterquam in casibus jure expressis & permissis, c. Responso 43. c. Si sententia cit. & c. fin. in 6. Jure autem exceptus est

132. Primò Baptismus, qui tempore interdicti quibuscunque parvulis, c. Non est vobis, & c. Quod in re, cit. & adultis etiam, tam sanis quam infirmis (etiam à persona interdicta, si alia commodè haberi nequeat) etiam Ecclesiæ januis apertis, cum consueta solennitate Catechismi, Exorcismi, Unctionis Olei & Chriftimatis conferri potest, c. Quoniam 19. in 6. quod concessum est propter periculum animæ; licet enim adultus non solò fluminis, sive aquæ, sed etiam flaminis Baptismo, scilicet per actum contritionis perfectæ & amoris Dei super omnia salvari absolutè valeat, Ecclesiæ tamen tanquam pia mater hominis nondum baptizati, interdicti, alteriusve censuræ Ecclesiasticæ adhuc incapax, salutem constituere noluit in eo discrimine; ut non aliter, quam perfectæ Contritionis auxillio salvari posset: neque etiam uberiori gratiâ & plenâ remissione omnis culpæ ac pœnæ, ex hujus Sacramenti receptione proveniente, cum privare, Suarez Disp. 33. f. 1. n. 2. & Pirrhing ad banc Rubr. n. 228.

133. Secundò, Confirmatio: cujus Sacramentum tempore interdicti Localis cujuscunque, & personis etiam generaliter duntaxat interdictis eum consueta solennitate ministrari, & ad Sacramentum hoc necessarium Chriftma in die Cœnæ Domini confici permittitur, c. Responso & c. Quoniam cit. quod, licet Confirma-

tio ad salutem non ita necessaria, ut Baptismus, istius tamen quasi complementum & accessorium sit; ut propterea eam in hoc eodem Jure, quò Baptismus, Ecclesiæ voluerit ceteri, arg. Reg. Accessorium 42. in 6. Sylvester V. Interdictum 5. n. 9. cit. Covarr. p. 2. §. 2. n. 7. Suarez n. 7. & Laiman, cap. 2. n. 1. Dixi Generaliter; quia interdicti specialiter, sicut &, qui ejus censuræ causam dederunt, hoc Sacramentum recipere ante præstitam satisfactionem non possunt, ut ex c. Alma cit. cum Suarez n. 9. desumit cit. Bonacina p. 3. n. 4.

Tertiò, Pœnitentia: cujus Sacramentum veteri solùm moribundis & peregrinis, c. Quod in re cit. novò autem Jure fidelibus quibuscunque, etiam sanis, tempore & in loco etiam interdicto ministrari potest, c. Alma cit. dummodo interdicto causam non dederint, ideòque interdicti vel excommunicati non sint; tales enim, si absolutionem consequi velint, præmittere ei debent satisfactionem pro delicto: vel, si eam exhibere non possint, de exhibenda præstare cautionem pignoratitiam, fidejussoriam, aut saltem juratoriam, c. cit. Suarez Disp. 33. f. 1. n. 7. Laiman. n. 1. §. Tertio, & Barbosa in c. Alma cit. n. 4.

Quartò, Eucharistia: quæ tempore interdicti Localis & Personalis generalis in probabili mortis periculo, ex infirmitatis, difficilis partus, condemnationis, imminenti prælii aut alia simili causa proveniente, constitutis per modum Viatici ministrari permittitur c. Quid in re cit. & c. Permittimus 57. hic: Quæ tamen, cum ægris aut aliis extra Ecclesiam ministranda est, ad eos cum debita solennitate, scilicet comitatu fidelium, accensis candelis, sonantibus cymbalis deferri, si potest, debet, arg. c. Sanè 10. de Celebr. Miss. eique, si persona re-

sona reficienda specialiter interdicta sit, satisfactio, de eive exhibenda cautio præmitti, *c. Alma cit. cit.* Navarrus *n. 179.* Covarruvias *§. 2. n. 7.* Suarez *Disp. 33. f. 1. n. 24.* Laiman, *n. 1. §. Tertio,* quibuscum Pirrhing *n. 232.* rectè monet, extra mortis articulum & periculum constitutorum fidelium nemini SS. Euchari- stiam ministrari tempore interdicti posse: nisi super ejus receptione speciali privilegio sit munitus: sicut ferè sunt Religiosi & Moniales, Compend. Privileg. *S. I. V. Interdictum, & Communicare.*

136. Cætera Sacramenta, licet non excepta, & propterea tempore interdicti omnino prohibita videantur, *arg. c. Si sententia & c. Alma cit.* Permissa tamen imprimis est extrema Unctio ex speciali privilegio Religiosis Mendicantibus & aliis, qui cum ipsis in privilegiis communicant, Compend. Privileg. *S. 1. & FF. Minor. V. Extrema unctio,* & probabilis etiam infirmo, qui nullum aliud Sacramentum recipere possit ex præsumpta voluntate Ecclesiæ, istius Sacramenti generalem prohibitionem ad hunc casum non extendentis; quòd aliquò modò necessarium videatur, *cit. Palao p. 4. §. 1. n. 20.* & Pirrhing *n. 234.* Deinde casu magnæ necessitatis & penuriæ necessarium Ecclesiæ ministrorum etiam Ordines clericis aliquibus non specialiter interdictis conferri tempore interdicti posse, cum Panormit. *in c. Non est cit. n. 8.* & Sylvestro *V. Interdictum §. n. 9.* vult idem Pirrhing censet *n. 235.* Demum matrimonialem contractum personis specialiter non interdictis, sed absque benedictionibus nuptialibus, permissum *Lib. 4. tit. 16. n. 23.* est dictum.

137. Alter interdicti effectus est privatio Officii divini, *c. Permittimus & c. Si sententia cit.* sive functionum & actionum spiritualium, quæ primò & per se anse-

xæ sunt alicui Ordini sacro, quæque ex Christi aut Ecclesiæ institutione solis clericis permittuntur: ut sunt sacrificia Missæ, benedictio Templi, Fontis, Ramorum in Dominica Palmarum, Cereorum in die Purificationis, Nuptiarum, Sacrorum vasorum, vestium, aquæ & rerum aliarum, quæ autoritate & nomine Ecclesiæ à sacerdotibus fiunt: publicæ recitationes horarum Canonicarum, Litaniarum cum solenni processione, & generatim quarumcunque solennium orationum ac deprecationum. *Publica,* inquam; quia privata recitatio horarum Canonicarum, Psalmorum Gradualium ac Penitentialium, Officii B. Virginis, Litaniarum, aliarumque Orationum, benedictio & gratiarum actio ad mensam, recitatio trium Ave Maria & similium precatationum ad pullationem campanarum &c. tempore interdicti non prohibentur: uti nec Conciones; quòd hæ non ad Deum orandum vel deprecandum, sed ad populum Christianum instruendum, abstinendum à vitiis, ad virtutem, Dei ac SS. cultum excitandum, ordinentur, *cit. Navarrus n. 176.* Suarez *Disp. 34. f. 3. à n. 1.* Laiman, *n. 2.* & Bonacina *p. 4. à n. 1.*

Hæc tamen divinorum Officiorum **139.** ita generalis prohibitio cum tempore sic restricta est; ut hodie tempore interdicti generalis (non etiã particularis) à loci Ecclesiæ ministris Missarum solennia celebrati semel in hebdomade valeant causa conficiendi SS. Corpus Christi pro infirmis, ex concessione Gregorii IX. *c. Permittimus 57.* & ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Alma 24. in 6.* singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrari & alia officia divina, sicut extra tempus interdicti, à clericis aliisque personis Ecclesiasticis dici possint, quatuor tamen conditionibus observatis; ut scilicet id

licet id fiat Primò, *Non pulsatis campana* pro convocacione cleri & populi ad Missas aliàque divina participanda & tintinnabulis ad *Sonus* & S. Hostie elevationem: licet ad futuræ concionis, salutationis Angelicæ & delationis SS. Sacramenti ad infirmum & cætera, quæ officium divinum non sunt, campanâ vel cymbalis signa dari, non prohibeantur, *citt. Sylvester V. Interdictum* 5. n. 7. Covarruvias p. 2. §. 4. n. 5. Suarez *Disp.* 34. f. 2. n. 19. & Palao *citt.* p. 4. §. 2. n. 14. Secundò, *Submissâ voce*, hoc est, absque solenni cantu, organis &c. ut, qui extra Ecclesiam sunt, audire non possint. Tertio, *Januis clausis*; ut, licet fideles ad Missam & divina audienda Ecclesiam valeant ingredi, extra eam tamen existentes videre nequeant, quæ in ea peragantur, ut colligitur ex *Clement. 1.* ubi Religiosi redarguuntur; quòd interdicti tempore in Ecclesiarum suarum januis foramina & fenestras facere præsumpserint. Quarto, excommunicatis & interdictis personaliter, iisque, qui interdicto causam dederunt, exclusis, *citt. Suarez f. 1. n. 28. & Pirrhing n. 239.*

Præterea idem Bonifacius Papa *e. Alma cit. V. In festivitibus*, concessit; ut in quatuor festivitibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis Virginis gloriosæ propter earum solennitatem reverentiam interdictum, à primis Vesperis usque ad Completorium inclusivè, suspendatur & Missæ sacrificium aliàque divina cum omni solennitate celebrari possint: sic tamen; ut excommunicati ab iis omnino excludantur: specialiter autem interdicti &, qui interdicto causam dederunt, altari v.g. oblationem faciendò non appropinquent. Quæ interdicti suspensio à Martino V. & Eugenio IV. ad Festum & totam Octavam SS. Corporis Christi extensa est, te-

ste Suarez *citt. f. 1. n. 4. & aliis apud Pirrhing cit. n. 246.*

Tertius effectus est privatio sepul- 140.
turæ Ecclesiasticæ; ut, si interdictum Locale, fidelium quorumcumque, etiam infantium & amentium defunctorum cadavera in Ecclesia aliòve loco interdicto: si autem Personale sit, in quocumque etiam non interdicto loco sacro tumulari, quamdiu censura durat, non possint, *e. Quod in te cit. c. Cum & plantare* 3. §. Quod si, *c. Ut privilegia* 24. de Privileg. c. Episcoporum 8. eadè Rubr. in 6. & Clement. 1. de Sepult. Interdictò tamen sublato in prophano tumulatorum cadavera exhumanda, & ad sacrum locum transferenda, monent *citt. Navarrus n. 176. Laiman. cap. 2. n. 3. & Pirrhing n. 241.*

Excipiuntur tamen personæ Eccle- 141.
siasticæ & clericalibus privilegiis gaudentes quæcumque: quibus decedentibus, si non specialiter interdictæ, neque huic censuræ dederunt causam: illudque actione aliquâ v.g. divini officii illicitâ celebratione non violârunt, sepultura Ecclesiastica in coemeterio & ipsa etiam Ecclesiâ interdictâ non denegatur: dummodo in silentio sive absque campanæ pulsatione, officio divinò more Ecclesiasticò dicendò, & aliis solennitatibus sepeliantur, *e. Quod in te cit.* qui textus, licet loquatur de Generali, Speciale tamen interdictum probabiliter non excludit; quia mentionem generalis facit potius; quòd hoc frequentius sit: quàm; ut ad id dispositio restringatur, ut cum Hostiensis & Panormit. in *c. cit. n. 10.* advertunt *citt. Sylvester n. 10. Covarruvias §. 2. n. 7. & Palao p. 4. §. 3. n. 5.*

Excipiuntur etiam post Concilium Constantiense, & interdictò etiam personali durante, cum pœnitentia decedentium laicorum, tam specialiter quàm generaliter interdictorum, eorum etiam, qui in-

qui interdictio causam dederunt, cada-
vera in loco sacro non interdictio tumu-
lari possunt: nisi eorum personæ inter-
dictæ fuerint specialiter & nominatim:
generaliter autem interdictæ saltem sub
nomine populi vel communitatis sint de-
nuntiatae, sic; ut tales viventes ante de-
nuntiationem non repellantur ab officiis
divinis, quæ in loco non interdictio cele-
brantur; quia in Concilio illo à Marti-
no V. edita Extravag. *ad evitanda*, se-
pultura Ecclesiastica ex vi alicujus cen-
suræ nemini denegatur; nisi prius censura
illa fuerit denunciata, vel persona impæ-
nitens decesserit, *citt. Navarrus n. 187.*
Suarez Disp. 33. f. 3. à n. 2. & Palao
n. 10.

142. Violationem interdicti, tanquam
prohibitionis Ecclesiasticæ in materia gra-
vi transgressionem, in Ecclesiasticis præ-
fertim graviter ex genere suo plerumque
peccaminosam esse, communis sensus est
DD. Unde ejus violatores clerici gravibus
pœnis obnoxii sunt, Primò enim Per-
sonale vel Locale sacrificii Missæ aut divi-
norum officiorum celebratione vel alteri-
us actus sacro Ordini annexi exercitiò
violantes contrahunt irregularitatem, *c.*
1. c. Is qui 18. §. fin. & c. Is cui 20. in 6.

143. Secundo, ab interdicti violatore suspen-
sionem ab officio; ac proinde à jurisdic-
tione incurri, ex *c. fin. de Excess. Præ-
lat. cum Glossa V. Irritas & Panormit.*
n. 1. defumunt citt. Covarruvias p. 2.
§. 5 n. 2. Suarez Disp. 34. f. 4. n. 16. &
Laiman. cap. 3. n. 3. quod c. cit. interdi-
ctum temerè violantis sententia & acta

144. omnia irrita declarentur. Verùm, quia
sententia & acta illa notoriè iniqua, &
Episcopi fuerunt, qui non solum inter-
dictus ipse erat, sed ad interdicti Apo-
stolici violationem alios inducere, imò
compellere, maximà temeritate præsu-
mebat, ex ejus actorum irritatione quo-

rumcunque interdicti violatorum suspen-
sio Jure lata legitime non inferitur: eos-
que ab officio ac beneficio suspendendos
per sententiam, melius colligitur ex *c.*
cit. dispositione altera, alios interdicti
violatores spectante, in eosque hanc pœ-
nam decernente, ut rectè notant cit.
Bonacina p. 7. n. 4. & Gonzalez in c. cit.
n. 2. Tertio, iidem clerici ejus viola-
tores non gaudent privilegio, vi cujus
in loco sacro sepeliri possint tempore in-
terdicti, per text. c. Is cui cit. & arg. à
contrario v. Quod in te cit. Laiman. n.
3. cit. Quarto, Clericus & Religiosus,
temerè violans interdictum Locale, inha-
bilis est ad electionem; ut ad dignita-
tem Ecclesiasticam non solum eligi vel
postulari, c. 1. de Postulat. sed iustita-
gium etiam in electione vel postulatione
ferre non possit, c. Is qui cit. §. fin. ubi
Glossa V. Ineligibilis, Sylvester V. In-
terdictum 6. n. 2. & Suarez cit. f. 4. n.
16. Quintò, quicumque etiam exem-
pri in Ecclesiis suis (cum moderatione c.
Alma cit.) non observantes interdictum
generale Locale (uti & Cessationis à di-
vinis) quod in Cathedrali & Parochiali-
bus Ecclesiis servari sciunt, ultra dictas
pœnas incurrun excommunicationem,
latam Clement. 1. cit. Navarrus cap. 27.
n. 146. Sylvester n. 3. Suarez n. 18. &
Laiman. n. 3.

Laicis istius censuræ violatoribus 145.
pœnæ Jure inflictæ non reperiuntur; præ-
terquam si clericis in loco interdictio pub-
licè & solenniter celebrare compellant,
vel pulsatis campanis, præconis voce &c.
ad divina in loco interdictio audienda con-
vocare: aut; ne publicè excommunicatos
aut interdictos nominatim, ut ex Ecclesiis
ad clericorum monitionem exeant, im-
pedire præsumant, vel ipsimet ita monitè
exire renuant, aut divinis violenter se in-
gerant; his enim casibus ipsò factò in-
currunt

circum excommunicationem, sedis Apostolicae absolutioni reservatam, quae lata est *Clement. Gravé 2. hic, cit. Suarez disp. 22. f. 4. n. 27. Laiman n. 3. in fine & Pirrhing n. 245.*

146. Sicut suspensio, sic & interdictum Ecclesiasticum latum pro certo tempore vel sub conditione, v.g. donec satisfactio praestetur, illò lapsò, aut illà impletà, absque alia relaxatione cessare, cum Glossa *in c. Non est cit. V. Donec & Panormit. n. 7.* docent laudati Sylvester *V. Interdictum 3. n. 13. Covarruvias p. 1. §. 11. n. 8. & Suarez Disp. 38. f. 1. n. 3.* Ante tempus illud finitum vel conditionem impletam, ut interdictum tollatur, opus est dispensatione vel absolutione, praestanda ab ejus auctore, successore vel superiore, ut ex communi eorundem & aliorum DD. sensu rectè monet Palao *disp. 5. cit. p. 7. §. 2. n. 2.*

147. Simili ferè modò interdictum cessare sine alia relaxatione potest, si tollatur ejus subjectum, v.g. si Ecclesia interdicta sine spe reedificationis destruat, vel dissolvatur & omnino extingatur communitas vel collegium, quod ei suppositum fuit: etiamsi personae aliqua, quae id constituerunt, & interdictò causam non dederunt, super sint; quia interdictum communitatis singulas personas non ligat: nisi quatenus sunt communitatis pars, aut in-

terdictò dederunt causam, *cit. Suarez n. 13. & Palao §. 2. n. 3.*

Interdictum Locale quodcumque, & Personale generale, per modum propriè dictae censuræ ob contumaciam à Jure impositum & non reservatum, contumacià cessante, indiget relaxatione Papae, Episcopi vel alterius, habentis jurisdictionem quasi Episcopalem in locum vel populum aut communitatem ei suppositam, *arg. c. Nuper cit.* Idem relaxare etiam possunt Jure latum & non reservatum interdictum Personale particulare, *arg. c. cit.* à quo poenitentes absolvi ex privilegio Apostolico valent plerique Mendicantes, & generaliter omnes, qui ex privilegio potestatem habent absolviendi ab omnibus censuris, ut cum *cit. Laiman. docet cit. Pirrhing n. 252.* Ab eadem interdicti personalis Jure impositi perinde, ut ab excommunicationis non reservatae, censura poenitentes absolvi possunt parochi & alii confessarii approbatè & expositi, ut *arg. c. Nuper cit. docent cit. Suarez Disp. 38. f. 8. n. 7. Laiman. n. 2. Bonacina p. ult. n. 6. & Palao §. 2. n. 7.* Si autem interdictum ab homine per sententiam specialem impositum sit, per absolutionem à solo ejus auctore, successore & superiore tolli potest, ut cum Sylvestro *V. Interdictum 3. n. 16. & aliis docet cit. Suarez f. 2. n. 12.*

